

**XIV APRILIS  
DE S. LIDWIGE SIVE LIDWINA VIRGINE  
SCHIDAMI IN HOLLANDIA,  
VITA POSTERIOR**

**Auctore eodem Ioanne Brugman. ex veteri  
impresso Schiedamensi an. MCCCCXCVIII.**

**PER IOAN. BRUGMAN EX MSS.**

**PROLOGVS.**

**in Vitam almæ Virginis Lydwincæ**

[1] [Aliis vana & secularia scriptitantibus,] Præclara sunt præconia veraque testimonia piarum Scripturarum, quoniam mirabilis sit Deus in servis suis, desiderabilis in filiis, gloriosus in Sanctis. Multa nimis, sed non credibilia, de diis mortalibus, utpote Jove, Saturno, Mercurio, Junone, Pallade, nec non fallacis pulchritudinis Venere confixere Poëtæ. Super magnitudine magni quondam Herculis, Hectoris, Troyli, Julii Cæsaris, utriusque Scipionis & aliorum, quos solum ardor inanis gloriæ ac futilis honoris claros ac famosos effecit, nonnulli scriptitantes, membranas librosve repleverunt, Deo deorum ac Regi regum minime deferentes. Nos autem oraculis, miraculis, imaginibus ac speculis certius, quæ lucent in rebus creatis, edocti, Regi seculorum immortalis ac invisibili, soli Deo vero, gloriam & honorem dantes; quam mirabilis fuerit in electis suis, humili stylo, pro modulo virium, in medium proferamus.

[2] [alii rectius & utilius Sanctorum Acta describunt,] Clara quidem nimis atque modulosa valde priscorum extitere patrum nostrorum scripta, quibus non modo

virtutes ipsas laudabiles agnoscimus, quin imo & ipsos virtutum, tam intellectualium quam moralium, opinatissimos possessores, nobis admirandos, venerandos pariter & imitandos comperimus. Operæ pretium siquidem ad futurorum memoriam semper extitit, & ad gloriam Altissimi, cujus Spiritus operatur, ubi, qualiter, quantum & quando vult, virtuosos quosque commendare, viros illustres extollere, & trophæa victorum depingere, Sanctorum describere actiones: quibus ante luciferum genitus in splendoribus Sanctorum, domum suam illustrare dignatur etiam a principio. Felix nimium aurea patrum priscorum ætas, [quorum numquam deficit copia & varietas.] plurimis virorum clarissimorum ornata fulgoribus, novis jugiter inserta coronis, vernantibus insita gemmis! Innovat agrum magnus agricola Deus, nunc liliis, nunc rosis, nunc violis. Vineam suam respicit, videt & visitat vitis vera Christus Dominus. Depulso longius Aquilone, flat & perflat Auster ille, videlicet Spiritus sanctus, ubi, qualiter, quantum & quando vult, hortum suum, & fluunt aromata illius odorifera valde. Nunc ex viris viros eligit; nunc ex mulieribus mulieres elicit; nunc ex parvulis parvulos colligit; ut fortia quæque confundat: suscitatur de terra inopem, & de stercore erigit pauperem, ut collocet eum cum principibus: quoniam pusillum & magnum, marem simul & feminam, puerum ac senem creavit Altissimus, imo æqualis est ei cura de omnibus.

[3] Postquam Sanctus Sanctorum ad nos descendere dignatus est, numquam cessavit unctio ejus, [quomodo nunc data est hominibus Lydwina,] quin unguentum ejus, quod ad superabundantiam in Christo capite nostro est, descenderit in barbam, barbam Aaron: descenditque in oram vestinenti ejus. Et quidem currunt filiæ regum in honore, in odorem unguentorum ejus: currunt & filiæ Tyri cum muneribus, & filia Babylonis misera: quia scriptum est, Memor ero Raab & Babylonis scientium me. [Ps. 86, 4] Nequaquam peribit jam Sanctus de terra, nec deerit

rectus in hominibus. Et ne mentiar, de mulieribus nostri temporis unam reperi, quam ut lumen in vase fictili, in sexu fragili, in choro puellarum humili, vergente mundi vespere, militantis Ecclesiæ tam viris quam mulieribus, tamquam memoriale suorum mirabilium, mirabilis & omnipotens Deus in lucem produxit. Sane, diebus istis novissimis, Pater misericordiarum & luminum specialem sibi sponsam elegit Lydwinam: quæ nos, in quos fines seculorum devenerunt, velut sidus vespertinum, sua puritate respargeret; quæ nos suæ patientiæ speculo, quasi luna in medio nebulæ, dirigeret; & quæ nobis, ut sol oriens in Altissimis Dei, tympanistriarum juvenularum in medio, flammivoma caritate refulgeret.

[4] Contuentibus plane vitæ Virginis hujus cursum, habet virgo quo oblectetur, [ex qua omnes proficiant,] habet humilis quod admiretur, habet zelator perfectæ sapientiæ quod sequatur. Porro invenit in ea reus quod præstet fiduciam, justus quod augeat justitiam, perfectionis æmulator quo charismata meliora velut primitias spiritus æmuletur. Ad videndam igitur Dei bonitatem in Virgine præclara, in puella tam mirabiliter ex millibus electa, vocentur parvuli, sugentes Christi ubera; convenient pervenientes ad congratulandum sponsæ, introductæ ad Christi connubia. Venientes, quæso, venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, [& Dei opera stupenda mirari discant.] quique terrigenæ & filii hominum, simul in unum dives & pauper. Veniant Ptolemæus cum ceteris; accedat medicorum acies, Hippocrates, Galenus cum sequacibus; & assumpta veridica narratione de tenera virgine hac, indicent, secundum facultatem suam, vitæ Virginis hujus, si potuerint, rationem. Profecto causam non assignabit delusor fidei nostræ Averroës, non Avicenna naturalium scriptor optimus, non Plato metaphysicus, non physicorum concio tota, nisi supernaturali lumine illustrentur: unde frequenter hoc Virginis nostræ Lydwinæ deficientibus

scrutinio, fuit commune quo adjunxit quod diceret; Scio, inquit, scio, quoniam vani filii hominum, varie circa me perscrutari moliuntur operum Dei rationem, ut eam capiant, captamque in scriptis redigant: sed supervacue dixerim fieri scrutinium hoc, quoniam quanto scrutantes scrutati fuerint, tanto magis magisque scrutando tabescent.

[5] Erat revera clarissima mulier hæc quasi altera temporis nostri Ruth, [Hanc Virgine, præclaris mulieribus comparandam,] colligens spicas post terga metentium: erat plane mulier fortis, procul & de ultimis finibus terræ quæsitæ; quæ instar Abisag, inter filias regni, Regis in domum, tamquam Sunamitis, primum introducitur; quæ nacto nocturnæ quietis silentio, sedere permittitur cum Maria; quæ tandem ingresso Principis celsi solio, conregnat ut Regina. Felix insuper terra nostra, quæ benignitate a Domino suscepta dedit fructum suum. Protulit mater Ecclesia, diversas per orbis provincias, turbam Sanctorum vernantem: nunc Apostolos de Judæa mittens, nunc ubilibet sanguinem sanctorum Martyrum colligens, nunc Doctores radiosissimos universo mundo distribuens, nunc Anachoretas ad deserta dirigens, nunc Cœnobitas sparsim conjunctimque conglutinans, nunc Evangelicæ vitæ professores ad reformationem desertæ Christi vineæ parturiens: unde congruum fuit ut Hollandia, quondam sterilis, felicem hanc rosulam, omni virtute conspicuam, inter lilia & violas, quibus affluit inter ceteras mundi nationes, Domino parturiret.

[6] [Hollandia, regio laudatissima, edidit;] Ipsa quippe, ut vidi, Hollandia regio fertilis, in Germaniæ finibus inferioribus sita est: regio, inquam, palustris, aquis fluviorum Rheni atque multorum irrigua ceterorum; locus uberrimarum pascuarum, armentorum & pecudum; nutrix opum & negotiationum imperterrita: cujus incolæ proceri sunt & elegantes, viri ejus fortes & robusti; populus audax

animo, venustus facie, pulchrior & honestior moribus & maturior. Plebs ejus communiter devotissima Deo, fidelissima hominibus; prædarum & rapinarum minus avida; victis misericors, & in hostes ferox valde. Hæc siquidem parva mundi portio, nequaquam minima in millibus Germaniæ; [nulla re gloriosior quam hac sua alumna,] quia ceteris Ecclesiæ partibus infirmantibus, hæc summe cernitur multæ religionis mater, virtutum ac virtuosorum ferax, reformatarum quarumlibet zelatrix personarum, hospitalium ac domorum pauperum promotrix, virginum ac continentium viduarum speculum, omnium Ordinum vitæ regularis tutrix egregia, esurientium & sitientium in vicinis & remotis eructans promptuarium, honestissimæ viduitatis parens fœcunda, columbinæ simplicitatis plus quam serpentinæ calliditatis amatrix sincera, ecclesiarum insuper sumptuosa constructrix & ornatrix indefessa, Christianæ vitæ atque contemplativæ societatis admodum præ multis gentibus & provinciis superplena.

[7] [quæ ut cedrus inter virgines,] Porro plantulam hanc, ex utero almæ matris Ecclesiæ, ex matrice diœcesis Trajectensis, in gremio Comitatus Hollandiæ, quasi campi ductricem ac primiceream, moderator temporum ac rerum omnium Deus eduxit in lucem gentis suæ: quatenus esset ut cedrus sublimata in monte Sion, montem dixerim a perfectione Confessorum; uti palma exaltata in exercitu Martyrum; [ut palma inter Martyres,] quemadmodum plantatio rosæ in senatu Patrum & Apostolorum; tamquam oliva speciosa in cœtu Patriarcharum; quemadmodum platanus in cuneo Prophetarum, sicuti cynamomum & balsamum aromatizans in choris Angelorum. Et quid mirum? numquid puellarum & virginum collega, erat ut cedrus alta Libani, [ut rosa inter Apostolos, ] quæ sancta fuit, casta fuit, & integra corpore & spiritu? Numquid non cypressus redolens, erecta in medio Confessorum, quæ universæ virtutis & justitiæ norma fuit? Numquid non

palma in exercitu Martyrum, quæ totam vitam in cruce dolorum innumerabilium, ut speculum patientiæ, ultronea peregit? [ut oliva inter Patriarchas,] numquid non rosa rubens in senatu Apostolorum, quæ tanta penuria tantaque paupertate spiritus, tantaque caritate plus quam triginta annis Christo Jesu animas lucri fecit? Numquid non oliva speciosa in cœtu Patriarcharum, quæ nedum sua, sed sese, corpus videlicet & animam, tamquam duo minuta cum vidua tenens, vivis & defunctis libenter, imo & frequenter, superimpendit? Numquid non platanus in cuneo Prophetarum, [ut platanus inter Prophetas] quæ non modo futura præscivit, verum absentia tamquam præsentia cordiumque arcana, personis, locis & temporibus opportunis, revelavit? Numquid non cinnamomum & balsamum aromatizans in choris Angelorum, [ut balsamum inter Angelos fuit:] quæ veluti amica amico, facie ad faciem, Angelis loquebatur, & sicut homo homini congratulabatur? Procul dubio.

[8] De Præclaris mulieribus pleraque descripsit Bocacius, de viris illustribus plurimi codices depinxerunt, & præsertim illustrior Hieronymus: sed, teste conscientia, timeo ne præ altitudine hujus mulieris, improbus & indignus laudator inveniar. [quam auctor veteris Testamenti matronis præferens,] Quid dicam? pertimesco. Commendatur, & merito, per sacram Scripturam Sara, quia filium concepit Angelica revelatione præventa: hæc autem non mater, sed virgo, Angelis familiarior. Commendatur prudens Rebecca, quæ Ha alma dicebatur, id est, Virgo abscondita, quia argumentosa pro salute filii: hæc autem triginta tribus annis sub tugurio jacuit, pro salute filiorum Dei argumentosior. Commendantur sorores Lia & Rachel, Lia, quia fœcunda, Rachel quia decora: vere gratiosa Lydwina, fuit in prole fœcundior illa, & in conspectu Regis, cujus gloria queritur intus, ista venustior. Laudatur Ruth humilis atque grata, hæc in humilitate & paupertate hilarior. Laudatur Abigail, a discretione verbi;

**& mulier Thecuitis, quia ad placandum suavis: hæc in auferendo iram Dei a populo, & iram viri a viro, multo suavior atque doctior. Laudatur Abisag, quia caniciem Regis fovit adolescentula: hæc in ministrando crucifixo Regi, grabatulo decumbens, ferventior. Judith prædicatur, quia ad orandum pro populo sancta: & hæc ad intercedendum efficacior. Prædicatur Sara filia Raguel, quoniam [convitium ancillæ suæ sustinuit: & hæc] ad opprobriosa & alia quævis illata patientior. Prædicatur Regina Saba, quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce mentis affectibus, non corporis gressibus, Regem pacificum laudare pariter & obaudire solertior.**

**[9] Quid plura? sitit cum Samaritana, sed potatur uberius: clamat cum Chananæa, [& mulieribus in novo laudatis comparant,] sed de side non commendatur minus: ministrat Christo cum Martha in membris ejus, nec perturbatur interius: sedet ad pedes cum Magdalena, nec frustratur rore intrinsecus: stat juxta Crucifixum confixa cum Maria, quemadmodum & de fructibus ejus satiatur medullitus. Itaque tamquam mulier timens Deum, ipsa digne laudatur: tamquam mulier sensata & pudorata, invenit gratiam: tamquam mulier, gratia præ multis velut Esther adornata, gloriam accepit & coronam. Hæc est Hesperus, septentrionalibus terræ pontique regionibus lucem sparsura clarissime, quam Dominus de imo transvexit ad summa: ut quemadmodum prius claruerat in terris per humilitatis, virginitatis, pudicitiae & patientiae summæ speculum, sic postmodum suo suffragio imperialis facta in cælis, cæcis lumen, aridis gratiam procuret & salutem. Haud dubium quin pluviam voluntariam, nobis summopere necessariam, suo tempore super sicca vehementer corda, ex alto dabit Dominus per illam; quam quasi suo in gremio requiescere fecit, quam sic pane suo tam tenere pavit, quam calicem tantorum dolorum bibere**

**voluit, quam ultra triginta annos quasi pedissequam, suorum vulnerum pariter & dolorum statuit bajulam fieri.**

**[10] Et quis putas fidelis & prudens in hac materia concipietur servus, qui dignam Christi famulam condignis tollat laudibus? [negat digne a se posse laudari,] Numquid cæcus iudicium sanum dabit de coloribus? Numquid mentis inops, ignavus, inutilis, mulierem fortem ut gigantem commendabit? Numquid præco mutus, religionis expers, in peccatis natus totus, laudem, perfectionem & patientiam ejus eructare sufficiet? Vellem, utique vellem, o Doctor optime Wilhelme, qui cognominaris Sonderdank, arte medice, quod sicut me sæpius induxisti ad opus hoc, quod supra vires meas est, conscribendum hujus ad honorem; ita sumptus qui necessarii sunt addidisses. [qui vivam numquam cognoverit;] O utinam de superabundantia benedictionis tuæ vel unam tantum mihi dedisses ex omnibus; qui nedum te templum Christi sponsæ dedicasti; sed ex tugurio, quo languens jacuit, ecclesiam ex cæmento, latere, ligno & lapide construxisti: qui nonnullos exemplo tuo in amorem cælestis hujus margaritæ succendisti: qui oculis carnis ipsam vivam vidisti, videns alloquentem & respondentem audisti, manu forsitan manum virgineam contrectasti; suasque infirmitates, ni fallor, agnovisti: qui sentis in spiritu dilectam tuam, si verum fatearis insuper, quamquam jam defunctam.**

**[11] [tamen ex relatu fideli cognita] Sed per hoc quid innuere velim quæris? Virginem non vidi, viventem non audivi, nec defunctam sentio: & testimonium perhibere adhortaris. Si quid habeo, illud maxime a te habeo, illud ex scriptis Confessorum Virginis ipse concipio, id ex libellis hinc illicque trajicio, & ex relatu fide dignorum fideliumque virorum ac devotarum mulierum disco. Et quia fides mea ex auditu, secundum fidem meam sic ad eam fertur amor meus: & ut totum dicam, ex fide quam gessi**



ad eam ab annis pueritiæ meæ, & quam adauget Dominus usque ad hunc diem, ardens factum est cor meum, & venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagenas novas dirumpit. Verum tamen dum me caritas scribere compellit, imperfectum meum, quod vident oculi mei, me retrahit: siquidem sane in veritate cum Psalmista loquar, tota die verecundia mea contra me est, [premere non potuit.] confusio faciei meæ cooperuit me. [Psal. 43, 16] Nosti tamen, dilectissime virorum, quid tibi, dum apud te tua in domo essem, dixerim. Væ mihi, inquam, si tacuero (quamquam non viderim oculis carnis, quam predicaturus ero) si non magnificaverim in populis, quam tanta gloria laudabundam non diffido desuper in excelsis. Timeo ne, cum tacuero, clamabunt per aëra spiritus, per plateas infantes, in parietibus lapides; ex quo jam tertio scribere efficacius, commonitus sum.

[12] [excusat lectori tenuitatem suam,] Oro tamen quemlibet pium lectorem, ut perlectis in toto vel in parte, quæ Deo duce jam tertio compingere potui ad laudem hujus sacratissimæ Virginis, oblique non judicet; non dente, sed linea fraternæ correctionis moderetur; non contemnat rei veritatem, si rhetoris eloquium non adsit; non adscribat præsumptioni, quod caritativa ratio compegit; non retorqueat in personam laudatam vitium aut imperfectum laudatoris. Suscipiat quæso caritas schedam hanc, quam descripsi tripliciter, multiplici licet barbarismo contextam: in qua, juxta morem incipientium, prima pars dabit Virginis ad servitatem Dei ingressum; secunda pars, [& opus suum in tres partes dividit.] secundum formam proficientium, ejusdem Virginis ostendet progressum; tertia vero pars, secundum exemplar perfectorum, dilectæ Lydwinæ describet egressum: quia incongruum mihi visum est secundum ordinem temporum procedere, ne confunderem materias posteriores: quin imo, pro consolatione spirituum devotorum, fasciculos myrrhæ, prout ex verbis & gestis

sponsæ Christi colligere valui, sic in ordine collocavi. Satis enim mihi est, ut benedictam Domini sponsam, juxta competentiam virium, humillime pronuntiem generationi omni quæ ventura est: nam & annuntiabunt cæli justitiam ejus. Et si minus veneranda videatur genti peccatrici, filiis sceleratis; reverenda nihilominus videbitur, per ea quæ scribo, saltem populo humili, qui nascetur, quem formabit Dominus.

### LITTERA TESTIMONIALIS,

quam, laborante ipsa Lydwina Virgine in ægritudine conscriptam, ad robur veritatis, Judices Schiedamenses sigillo suæ Communitatis munierunt, in hac forma.

Nos Ballivus, Scultetus, Burgimagistri, Scabini, & Consules oppidi Schiedam, sub Ducatu Hollandiæ, sub diœcesi Trajectensi, notum facimus universis, quod vidimus & legimus, in anno Domini MCCCCXXI die XII mensis Septembris, litteram sigillo nostri oppidi sigillatam, continentem de verbo ad verbum prout infra.

[13] [Ex obligatione veritatis testandæ] Universis & singulis Christi fidelibus, spiritualibus & secularibus, majoribus & minoribus, nobiles & ignobilibus, utriusque sexus hominibus & personis, cujuscumque status, gradus aut conditionis extiterint, in civitatibus vel extra, in terris vel in aquis, aut ubicumque alias moram traxerint, aut sua domicilia seu loca habitationis habuerint, ad quos præsentia pervenerint, Ballivus, Scultetus, Burgimagistri, Scabini & Consules oppidi Schiedam in Ducatu Hollandiæ, sub diœcesi Trajectensi, humiles salutationes semper prævias cum agnitione veritatis: quia recta ratio hoc judicat, justitia exigit & requirit, quod res & causæ veraces evidenter ad aures intimari, propalari & manifestari possunt, imo merito propalari, ad aures intimari & manifestari & testificari debent; præcipue

tamen istæ, in quibus laus, honor, & gloria Dei inesse possunt ac relucere.

[14] [certificant quod Lydwina] Certificamus igitur & innotescimus, & scire desideramus omnes & singulos Christi fideles præscriptos, propalamus, ad aures intimamus & testamur in veritate in his scriptis, de factis & rebus mirabilibus valde & inauditis, quæ in memorato nostro oppido contingunt & facta sunt, & quotidie adhuc in quadam Virgine, [annis 23 ægra decumbens,] Liedwy Petri nominata, fiunt & contingunt. Hoc est intelligendum, quod eadem virgo & puella, infirma valde fuit, & in lecto suo permaxime torquebatur, in quo etiam jacet & jacuit bene viginti tribus annis, in festo Purificationis B. Mariæ Virginis ultime præterito. Et infra idem tempus numquam usa est neque recepit nisi unam dimidiam pintam vini, per septimanam vel quasi, cum aqua modica vel parum de sucro vel cum valde paucis cinnamomo bene trito: excepto quod infra tres primos annos suæ infirmitatis, [cibo potuque abstineat & somno,] aliquoties & inter tempora, modicum de pomo vel pane accepit, & quandoque de dulci lacte parum comedit vel potavit: sed infra septem annos ultime præteritos nullo omnino cibo vel potu usa est, neque utitur pro præsentibus.

[15] Non dormit, neque per omnes supra scriptos annos unquam dormivit, nisi parum valde, & vix per duas noctes, omnibus simul computatis. Et jacet jam adeo lamentabiliter & miserabiliter, quod intestina sua perdit & privatur eisdem. Et vermes grisei, aqua ejusdem coloris pleni, grossi velut fuscum in fine, [scateat vermibus] longi sicut articulus est unius digiti (quod cum licentia & reverentia omnium scribimus) carnes ejus comedunt & corrodunt, absque fœtore aliquo & sive odore malo inde proveniente. Et quando præteritis temporibus moveri vel tractari consueverat, [membris paene omnibus dissoluta;] tunc oportuit ut corpus ejus superius circa

scapulas, cum institis aut cum manutergio vel consimili aliquo fortiter ligaretur; alias totum corpus in partes minutas cecidisset, & penitus fuisset dissolutum. Sed modernis nunc temporibus nullo modo potest moveri, neque unquam potuit infra septem annos ultimo transactos, per quos semper jacuit & adhuc jacet in suo dorso, & non potest movere nisi caput & brachium unum.

[16] Et aliquando per temporum intervalla de ore ejus, [magnam sanguinis vim ejiciat,] naso, auribus, aliisque meatibus multum sanguinis emittit, super hoc quod nullo cibo utitur vel potu, nec usa est nisi secundum superius exaratum. Et eadem virgo & puella infra eosdem septem annos præscriptos habuit & adhuc habet de tertio in tertium diem, unam magnam & gravem febrem tertianam, quæ ei primo advenit cum enarrabili calore: & non longe post hoc venit inextricabile frigus: [diras febres patitur,] & tunc iterum calores & frigus vicissim. Et hoc sic bene per unum dimidium annum duravit: sed post hoc tempus habet semel calores per tempus durantes, & postea frigus. Et quando ab hujusmodi febre liberatur, tunc de seipsa nihil scit infra decem vel duodecim horas. Et quando febres prædictas habet & patitur, tunc evomit per os seu emittit per noctem multum de aqua rubea, sic quod ex illa quarta pars vasis plena resultat per septimanam: & de hujusmodi aqua, etiam præter hanc, infra annum adhuc bene duo vasa plena evomit & emittit.

[17] Habet etiam præfata virgo & puella in corpore suo tria foramina: [tria grandia in corpore foramina habeat.] quorum quodlibet bene adeo magnum est sicut interior concavitas & fundus unius scutellæ communis, & adeo nigra sunt sicut pix, uti introsipientibus & videntibus apparet. Et ex uno eorum, quod stat in ventre illius virginis & puellæ, currunt & scaturiunt per temporum intervalla de vermibus supradictis ducenti quandoque simul: & super illud ponitur emplastrum quoddam, de

melle & recenti simila vel farina ex adipe frumenti factum & confectum: & ab illo vermes ipsi sugunt, & fomentum suum accipiunt, alias deberent eamdem usque ad mortem torquere: & si hujusmodi farina vel adeps antiqua esset & non recens, vermes illi emplastrum illud non sugerent neque eo uterentur. Omnia ista probata sunt, & per experientiam sic inventa: & foramina jam clausa sunt.

[18] In qualibet etiam quindena memorata virgo & puella recipit sacratissimum & venerabile Eucharistiæ sacramentum: [singulis quindenis communicet idque difficulter,] & oportet ut Sacerdos ipsam communicans subtilitate utatur & solertia, cum eam communicat; quia alias ipsa Eucharistam neque sumere neque deglutire posset. Et tunc dat sibi valde parum de aqua: quam etiam non bene trajicere seu deglutire potest, sed primo per tempus in gutture ejus gargarizantium ad instar eructuat: & interdum nullam aquam sibi dat, propter trajiciendi eamdem seu intus sumendi difficultatem. Insuper ista virgo & puella ab inferius usque ad ventrem est omnino & totaliter putrefacta: & oportet quod cum quodam cussinulo impleto lana, ad quantitatem manus, ad hoc specialiter facto, obstruatur: alias intestina ejus ac inferiora deberent penitus excidere. [& inferius omnino putrefacta sit.] Et sic in veritate mirabilia & portenta, quæ in virgine & puella memorata facta sunt & adhuc quotidie fiunt, nimis magna & adeo multa sunt & varia, quod clare & ad plenum scribi seu calamo reserari non possunt. Fuit etiam sæpe dicta virgo & puella quatuordecim annorum, quando infirmitas ei primo accidit & advenit.

[19] Et quia nos Balivus, Scultetus, Burgimagistri, Scabini & Consules supradicti, bene & ad plenum sumus de omnibus particulis antescriptis informati & certificati, imo quotidie bene percipimus & certificamur; idcirco præsentibus litteris pro evidenti & veraci testimonio, sigillo nostro, quo ad causas utimur, extrapendente, sigillamus,

**anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo, in  
Vigilia B. Mariæ Magdalenæ, mensis Julii vigesima prima  
die.**

**Explicit copia litteræ testimonialis, quam, laborante  
devotissima virgine Lydwina in ægritudine, [cur hæc  
epistola hic ponatur.] ad robur seu testimonium veritatis,  
bona fide Judices seu Domini reipublicæ de oppido  
Schiedam, conscriptam, sigillo suæ communitatis  
munierunt: quam ut perspexi, legi & contrectavi,  
necessarium de verbo ad verbum hic annectere  
præcogitavi. Utique testimonia mirabilia hæc, quapropter  
& scrutata est ea anima mea: sed testimonium Domini,  
omnibus his majus, est acceptabilissimum usquequaque.**

## **ANNOTATA.**

**Ballivus ex parte Principis, Scultetus ex parte  
communitatis constituuntur ad justitiam exercendam.**

**Burgimagistri bini aut quaterni civilibus  
deliberationibus aut actionibus præsent.**

**Non sunt hi distinguendi a Scabinis, hic autem  
dicuntur Consules, respiciendo ad etymon vocis a  
consulendo ductum.**

## **PARS PRIMA**

**Inceptiva vel ingressiva Vitæ almæ Virginis Lydwinæ.**

### **CAPUT I.**

**De ipsius origine & conversatione in puerilibus annis.**

**[1] Igitur Lydwina nostra de Comitatu Hollandiæ traxit  
originem; de populo gravi, [Schiedam in Hollandia,] &**

domo religiosa valde. Claruit autem singulariter singularis hæc Virgo, congruentius virago vocitanda, quodam in oppido Schiedam, ubi flumen quod Mosa dicitur ad Occidentalem decurrit plagam, ubi quoque diversorum fluviorum voragines maris orificium præstolari videntur in vicinis. Hujus nempe Virginis memoriale in benedictione manet; quia Dominus illam suæ dulcedinis benedictione præveniens, de nequam seculo puellam clementer eripuit, quasi filiam paternis visitationibus erudit; nec non veluti sanctificationis lapidem vividum, in fabricam domus suæ, tamquam sapiens architectus, collocavit. Nomen patris ejus Petrus, [parentibus Petro & Petronilla,] matris vero Petronilla: quibus hoc divinitus virtutis infuit præclarum insigne, quod de labore manuum pariter & sudore vultus victitantes, in mandatis Domini ambularent sine querela, quemadmodum & a progenitoribus acceperant vias vitæ.

[2] [avo Ioanne,] Quippe Petri hujus, laudabilis vitæ vir Joannes, genitor extiterat; vir utique rectus ac timens Deum; qui sua defuncta uxore viduus perseverans, corpus attenuabat abstinentiis; adeo ut biduanis ac triduanis observatis per sabbata singula jejuniis, in pane tantum & aqua, vix effæto præ senectute corpusculo necessaria sumeret; Domino fideliter serviens die ac nocte; pro impretiabilis continentia margarita conservanda, carnem subigens & castigans. Quantæ autem virtutis veteranus ille fuerit, [magna sanctitatis viro,] nedum probat corporalis exercitatio, quæ ad modicum utilis est; verum insuper pietas, quæ ad omnia valet, virum hunc adeo sui juris effecerat, ut liquefactiva quadam dulcedine mentis, efficacia orationis indefessæ proficeret; frequentia confessionis de sabbato in sabbatum se purgaret; & quasi monasticam vitam ducens, de quindena in quindenam ferventissimo amore communicaret. Probant quoque senis hujus venerabilis multiplicem virtutum multiplicia bella; cum procul dubio felicibus actibus ejus invidentes

dæmones sæpius domumculam ejus & quæ in ea continebantur evertere niterentur; & ubi viro Dei nocere non poterant, nonnumquam domesticos suos, ut canes rabidi, de domo terrore nimio deturbabant.

[3] Ex hujus ergo claræ memoriæ Joannis stipite, velut ramusculus virtutis admirandæ, nec non flosculus suavissimi odoris, Lydwina nostra, tamquam ex avo caniciei venerandæ, pullulavit, ut arbor bona fructus bonos faceret, [facili præter solitum puerperio] & radix sancta fructum sanctificationis afferret. Disponente igitur illo, qui oleum de saxo & mel de petra produxit, viro suo Petro Petronilla mares octo, feminam vero hanc solam peperit: quos in laboribus & ærumnis, plus quam dici possit, cum ingenti vitæ periculo per singulos annos in lucem edidit; atque cum sudore multo, paupercula cum esset, una cum mariti sui solertia pervigili, ad cultum Dei omnipotentis enutrivit. Cumque salubrem hanc filiam mater gestaret in utero, vehementer timuit, ne forte consueto discrimine partus periclitaretur de vita: orabatque attentius Dominum, quatenus vita comite, salubrius quam pridem, ipsam in partu expediret.

[4] [in die Palmarum nascitur:] Completis deinde diebus ut pareret, instabat Palmarum solennitas, hora præsertim summæ Missæ, qua Passio secundum Mattheum legi solita est. Nesciens autem felix mulier, quod de proximo dolores in januis essent, prægnans, ut potuit, accessit ad ecclesiam. Sed mox ut Passio Domini legebatur, superveniente dolore domum revertitur; ubi mira facilitate, subveniente Dei misericordissimi clementia, felix felicissimam hanc plantam enititur: factoque cunctis vicinis exinde a gaudio, sacro baptismatis lavacro nata renascitur, nomenque illi congruentissimum Lydwina vel Lydwya imponitur. [& in bastismo Lydwina nominatur:] Quod quidem nomen apud Germanos latæ patientiæ significationem complecti dignoscitur: Lyden, quippe



**Teutonice sustinentiæ vocabulum est; Wy, vero latitudinis notam præfert. Non autemet autem quis id actum frustra ut tale renata sortiretur nomen: quoniam, ut rei postmodum eventus demonstravit, quæ desunt passionum Christi suo in corpore, tamquam filia gloriosa omnipotentis Patris, multifariam multisque modis, pro subsidio vivorum pariter & suffragio defunctorum, flagella toleravit. Nimirum quæ tempore recitatae Passionis Palmarum die nascitur; quæ tanta facilitate præter morem solitum in partu matri formidulæ divinitus conceditur, quæ tot tantisque in regione mortalium castigationibus pro multorum adminiculo fidelium eligitur; ipsa congruum nominationis barbaricæ vocabulum, diffusæ ac universalis patientiæ significativum, merito sortitur.**

**[5] Revera quidquid maternis visceribus, pia dispensatione, tempore parturitionis, [infans patitur dolores calculi.] de calice putatur subtractum, id ut ita dixerim, benedictæ proli ebibendum infinitius propinatur in futurum. Siquidem ætas illa quæ solo lacte pascitur & strictis fasciis cingitur, ab infirmitatum xeniis libera non permittitur. Quin imo cum parvula motaretur in cunabulis, diro torta cruciatu, post infantiles vagitus & lacrymas, calculos non paucos emittebat: talibus enim dolorum præludiis, quæ virorum etiam fortissimorum animos, ut videmus, dejiciunt; infantula, belli dolique nescia, vagiens inter ubera, ad eam quæ se manebat armabatur pugnam, quæ solam pro scuto sanctam patientiam habet cum caritate. Et nostræ Lydwinæ quidem in fascenninis primitialis tolerantia sic se habuit: qualiter autem felix infans, felicior in mulierem paulisper creverit, attendamus.**

**[6] [Pie affecta erga imaginem D. V.] Cœpit exinde, velut inter spinas rosa, Christi Jesu, parvula sponsa, quantum prima illa patitur ætas, pedetentim, sub instructione**

piorum parentum, ea quæ Dei sunt, velut nova testa, solerter bibere: cœpit & præsago quodam spiritu futurorum mirabilium, Virginis Matris jam primitiva munuscula sentire: cœpit & balbula læto quodam animo salutationem Angelicam proferre, Sanctorum jam locorum limina quærere: cœpit & jucunde Reginam misericordiæ, ipsiusque imaginem ubi poterat suaviter salutare. Ob quod haud dubium quin ipsa mater gratiæ Maria, tamquam spiritualis prolis avida, in dicto Schiedam oppidulo locum sibi specialis unctionis elegit: de quo quidem parum digressive dicamus.

[7] Negotiator enim quidam illic imaginem quamdam Beatæ Virginis, [quæ ob miraculum circa eam factum] causa vendendi eam in nundinis Antverpiæ, secum detulerat: quam cum in navi posuisset, & nautæ navigationi operam darent, statim divino nutu navis ipsa immobilis facta est. Mirum dictu! apponuntur manus, adjiciuntur instrumenta; sed non proficiunt, admirantibus cunctis: confluunt omni ex parte tam viri quam mulieres, rei fama diffunditur, vertitur aspectus in stuporem, venit ab risu in laudem, credentibus cunctis quod a Domino foret negotium istud, [Schiedami in veneratione erat,] procurante illa, cujus ibidem tenebatur imago. Desperantibus autem universis, qui juvare venerant mercatorem, rogare cœperunt, ut attento miraculo, imaginem illam, sumpto competenti pretio a magistris fabricæ, illic relinquere velit. Mox requisitis ecclesiasticæ fabricæ magistris fit de pretio dando pactum altrinsecus, fit apud venditorem cupida devotio de necessitate virtus coacta; fit imago reverenda populis, & in ecclesia venerabiliter sistitur quantocius, videlicet Baptistæ Salvatoris: crescit demum eamdem ob imaginem amor & devotio; fit tam sexuum quam statuum quorumlibet fraterna congregatio; fit ex tunc eodem in loco, ut vidi, quotidiana laudis Mariæ solennizatio; fit conventus jubilantium in gloria Sanctorum.

[8] Cumque igitur his rebus ita se habentibus, ab incolis Virgo in imagine veneraretur, [eamdem furtim invisere consuescit,] & puella nostra Lydwina ferme septimum ageret annum; parentum imitata vestigia, tamquam quæ sortita esset animam bonam, docilitate spiritus & devotione socias contemporaneas ultra modum jam præcedebat. Bibebat ex tunc de Petra Petri filia, pro lacte guttatim salutaris sapientiæ aquas: crescensque indies seipsa maturior, lasciviæ puellaris jam exosa, consortium horrebat & ludum. Porro cum, propter puellare ministerium, ubique levandi puras manus in oratione facultas non patuisset, quo id aptius faceret in loco sancto, pio furto satagebat. Nam cum frequenter a matre ad fratres, causa deferendi jentaculum vel hujusmodi, transmitteretur; iens & rediens clam intrabat ecclesiam. Ibi quoque in cælum tensis manibus, coram dicta Virginis Matris imagine, [sibique arridentem videre:] non tam jaculatoriam, quam inflammatoriam sui ipsius oratiunculam cordialissime promebat. Et si quandoque mater, diutiori mora prægravata, quæreret, ubinam gyrovaga moram protraxisset aut iter; respondebat: Moleste ne tuleris quæso, bona mater, quia pulcherrimam Dominam nostram Mariam salutavi, & ipsa mihi salutanti gratissime arrisit. Quo audito, mater tacite rem considerans, obmutuit; æstimans sane quod spiritus Dei simplex loqueretur in ea. Nempe dulcis puellula dulcissimæ Virgini Matri parabat cordis sui vasculum; & ipsa, Domino desuper fundente oleum lætitiæ, tamquam canale, liberaliter infundebat.

[9] [paulo adultior, sed supra ætatem prudens,] Ceterum hæc de pueritia Lydwinae dicta sufficiant. Superveniente proinde primævæ juventutis, utpote vernantis adolescentiæ, tempore; cum inolescere magis magisque consuevit natura pubertatis; aforis enitescere cœpit quid lateret in homine; cœpit & in lumine clarescere lumen, quod hactenus sub modiollo latuerat. Videns enim

juvencula totum fere mundum in maligno positum, collactaneas quoque suas per abrupta periclitari vitiorum; ne candidum vestimentum, quod in sacro fonte susceperat, vel paululum macularet per voluptatis incendiolum, properavit aufugere de medio iniquitatum. [cœpit mundum aspernari:] Cœperunt undique amatores mundi hujusmodi Virgini, satagente humani generis inimico, suadere carnis delicias, ad caducas divitias invitare, nec non & ad mortalis sponsalitiū leges animum provocare. Illa quidem forti animo superinduta, Dominum exorabat dicens: O Domine Deus meus, aufer a me amorem scilicet corruptum omnis creaturæ, insuper & ab amore corrupto creaturæ mortalis me præservare quæso ne desistas. Ex quibus verbis liquet luce clarius, quam nec amari nec amare peroptabat, amore inquam qui Deum excludit.

[10] Porro cum esset formosa corpore, statura elegans, [& ad opulentas nuptias invitata] in rebus domesticis tractandis (quamquam duodennis) expertissima, modestia disciplinæ admodum grata, & ob hoc etiam a dignioribus ditioribusque ad conjugium a patre peteretur; tandem pater importunitate precum victus, pauperculus cum esset, quasi eufortunium nactus, inquisivit glorianter, super iis quæ sibi offerebantur, filiæ voluntatem. Quæ respondit: Non est in voluntate mea, peroptime pater, ut virginitatem meam pro conjugio mortali exponere velim: thesaurum habeo in vase fictili, quem amittere non proposui. Qua ex re te deprecor, ne amodo mihi sponsum commemores, si natam, quam genuisti, velut genitor ames. Cum autem hæc & similia verba inter patrem & filiam tractarentur, [constanter renuit.] affuit mater ejus, secreti filiæ conscia, & ait: Frustra, marite, super facto conjugii filiam alloqueris: nam prohibet hoc nedum ætas juventutis, prohibet nedum pietas voluntatis: quin imo unica filia cum sit, unico Deo, si velit maxime consecranda est ejus libertas virginitatis. Quibus a matre prolatis

**prudens Virgo, constanti simul & pudibunda facie, gemens adjecit: Ad hoc, inquit, carnale connubium spontaneam me non alliciet homo vivens: &, si vim passa fuero, talem in corpore mihi deformitatem imprecabor a Domino, quo de cetero ad sponsalium non coarcter. Quo audito cessavit quassatio, cessavit eam ex tunc angariare pater; quid Pater misericordiarum in filia sua disposuerit, patienter expectans.**

**[11] Sciens Lydwina quam inter latrunculos necesse haberet interdum conversari, [seculi vanitates fugientem] & quam opus esset propter vepres & spinas ac saxa declinare vias anfractuosas ac latas; cœpit custodire vias duras; cœpit ex tunc magis ab hominum simul & coætaneorum aspectibus se subtrahere; cœpit simpliciter domi consistere; cœpit insuper & virginitatis propositum gemebundis precibus Deo commendare. Verum cum se ab omni tumultu secularis vanitatis & turbinis sequestraret, succrevit in solitudine simplicitas, in simplicitate devotio, in devotione dilectio flammescere cœpit. Ignorabat adhuc tenella Virgo cœlestis allocutionis arcanum, donec facta manu Domini super eam disceret humiliari, & in vivida carne terrestris hominis scoria compurgari. [porro expurgare Deus morbis aggreditur.] Videbatur enim adhuc informe quoddam chaos ad divina degustanda; quod cura paternæ domus ex toto sibi necdum viluerat. Sed hic qui pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat, adolescentulam suam paulisper emundando deduxit ad hæc; & quidem Spiritus Domini bonus in pauperculos respicit & contritos spiritu atque trementes sermones ejus. Ut igitur ad Spiritus sancti persuavissima susurria coaptaretur anima ejus, visitans visitavit eam oriens ex alto Dominus, ita ut dicere posset illud Psalmi, Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me. [Ps. 117, 18] Enimvero multiplicatæ sunt infirmitates ejus, ut acceleraret, accelerando Dominum quæreret, quærendo Patrem inveniret, inveniendo Deum possideret.**

## CAPUT II.

De principio infirmitatum ejus & quomodo a medicis derelicta sit.

[12] [Duodennis diuturno languore deformatur:] Porro ætatis suæ anno decimo quinto vel circiter, aggravata est manus Domini super ea: nam dejecta prolixi languoris gravedine, facta est facies ejus squallida, recessit decor ejus primus, adeo ut spernerent eam qui prius nimio amore capti fuerant, faciente illo qui pulcras animas in corporibus deformibus non abhorret. Cumque despicibilis admodum esset cunctis effecta, factum est una dierum tempore hiemali, [a quo relevata,] cum stridentes campi præ algore communiter inhorrescunt, & flumina, præsertim in partibus Aquilonis, in glaciem constringuntur, & Virgo nostra Lidwina stratum infirmitatis nuperrime dimisisset, ecce recreationis gratia veniunt & reliquæ sociæ virgines, invitantes eam, quatenus paululum solatii super glaciem, more adolescentularum regionis Hollandiæ, accipere dignaretur. Illa vero, velut altera Virgo Sara, quæ numquam cum ludentibus se miscuit, omne humanum solatium detestans, ob Dei reverentiam pariter & corporis invaletudinem, [& ægre a sodalibus persuasa] ire non consensit. Tandem molestantibus illam coæqualibus suis, ut saltem vel modicum secum super lubricam glaciem, a longe ceteras prospectura, conscendat; finaliter acquievit.

[13] [glaciem conscendere,] Ascendit igitur cum vicinis super aquas, glaciei lubricæ se debili corpusculo exposuit, cursitantes hinc illincque coætaneas pariter & jocantes tantum aspexit, & pro dolor! morulam vix fecerat, & ecce una puellarum rapido cursu veniens, seseque ab impetu cursus cohibere non valens, in Lydwinam casualiter impegit, impactamque super fragmina glaciei dira collisione dejecit, sicque dejectæ

costam unam intrinsecus frangi coëgit. [in ea unam costarum frangit.] Illic igitur obortæ sunt lacrymæ, illinc invaluable clamores: quæ cum gaudio super glaciem adducta fuerat, cum incredibili virginum ploratu, desperabiliter læsa, manibus amicorum deportatur. De lecto doloris ejus vix die illo descenderat, & ecce, numquam incolumis descensura, rursum ascendere, haud dubium Domino volente, compellitur. Stupebant autem qui videbant; admirati sunt omnes qui casum tam subitum audierant. Itaque, prout in gente stulta & populo barbaro consuetum est, aliis ex pietate in lacrymas resolutis, alius sic, & alius quidem sic de Virgine, quam manus Domini tetigerat, loquebatur. Viri autem illi, quibus pudentissima Lydwinæ vita innotuerat, & quibus mens sanior erat, rem tacite intuentes, dixerunt; Quia manus Domini fecit hoc. Quod & plane rei successus edocuit.

[14] Adducuntur omni ex parte & pretio ac prece medici, [mali huic nil proficientibus medicinis,] confluunt & chirurgicæ artis viri expertissimi, ut suis adolescentulæ periclitanti de vita succurrant medelis, suis putrescenti Christi sponsæ subveniant pretiosis unguentis. [Ecli. 38. 1] Quid dicam? Numquid artem medicinæ aut chirurgicæ confundemus? Absit ut confundamus eos, quos sacre, Scripturæ honorandos commemorant. Sed quid dicam? Numquid non defecerunt scrutantes scrutinio? & quidem non defecerunt in Virgine prostrata? [succedit apostema internum,] Sed vere digitus Dei erat illic: neque physicus locum habet aut chirurgicus, ubi solus Dominus vulnerat & medetur. Succrescunt ex hinc labor & dolor, multiplicantur in pectore simul & sub costis passiones infinitæ: accessit rupturæ gravissimum apostema: fiunt semper, judicio physicorum, novissima pejora prioribus: consumuntur paternæ, quamvis tenues, in procuranda filiæ cura facultates: desperatur ex integro de salute.

[15] Erat autem illis in diebus archimedicus regionis Hollandrinorum, vir philocalus, ac devotorum pauperum zelator magnus, nomine Godefridus, cognomine Sonderdank. [quod incurabile pronuntians quidam] Hic cum audisset & vidisset quæ quantave Dominus operari cæpisset in Virgine, digitum ori imponens ait, Infirmitas hæc, carissimi, nostram transcendit facultatem: quamobrem in veritate dico, quod si tot aureos quot sidera cælum continet, pro cura Virginis hujus accipere voluerimus, incassum laborabimus: altioris enim indaginis opus est principibus nostris Galleno, Hippocrati, & Avicennæ medicis famosioribus prorsus ignotum. Dico vobis, inquit, carissimi mei, quod iudicio meo, auctor naturæ Deus tot & tanta facturus est in hac adolescentula, quod & quanta forsitan a seculo in una eademque mortali creatura non sunt audita. Et utinam filia mea foret, pro tanto pondere fulvi auri, [mirabilem futuram prædicit.] quantum caput ejus æqua lance pensare potest. Sane quodam præsago mentis oculo cernebat, quod apud Dominum condita erat simul vita & mors Lydwinæ nostræ, & signata foris in thesauris ejus.

[16] [Rupto apostemate.] Omnium igitur medicorum destituta solamine Virgo dolorosa, in sola spe Dei viventis, furente dire apostemate circa regionem læsuræ costarum, huc illucque motabatur, nusquam sibi requiem reperiens. Accedit propius pius vetulus pater ejus Petrus; & quo potuit modo consolabatur unicam filiam suam. Verum cum increcerent puncturæ corporis Virginis, concrevere simul & miserabilissimi gemitus, invalere suspiria; reddebatur angustus omnis locus, absorbebatur præ nimia stimulatione animus omnis. Victa tandem torturarum voragine, sui ipsius nescia, de grabatulo quo se involverat, in sinum senis miserentissimi se deiecit. Unde mox apostematis apertura subsecuta est, & humore profluente intrinsecus, cum exitus non pateret aliorum, statim accedente pænosissimo vomitu, membratim



discindi videbatur; plorantibus qui aderant quod mors in januis esset.

[17] [succedunt alii atque alii morbi,] Ab illo denique die aperti sunt oculi domesticorum, ut viderent quod solus Dominus opem ferre posset illi, & quia universum stratum ejus versaturus sit Dominus in infirmitate ejus. O quam gravis futurarum ægritudinum arrha! o tortionum dira præludia! O si ex tunc vidisses electam, sed misellam adolescentulam viribus omnibus destitui, membrorum omnium beneficio privari, genibus solis & manibus super humum reptare, monstro similiorem quam homini; nunc trunco, nunc scabello per angulos domus motari, interdum instar vermiculi huc illucque moveri, [quibus tota deformis facta,] & si quandoque tempore Paschali communicatura foret, aliorum manibus comportari; utique a lacrymis te continere non potuisses. Quis enim non fleret videndo virginem, adolescentulam speciosam, adeo deformari? quis non condoleret omnibus amabilem, omnibus desiderabilem quondam, jam ab omnibus aspernari? Nempe cibo & potu, somno, jocis delectantur hujusmodi homines; in spectaculis & choreis, in ornatibus & cantilenis puellæ.

[18] Sed de Lydwina ipsa quid dixerim? Omnem escam abominabatur anima ejus, quam vel plusculum sumens, discrasia stomachi statim enomere cogebatur. Omnem pretiosum potum similiter exhorrebat: nam fastidiosus stomachus, [& stomacho debilitata,] instar prægnantis feminæ, sæpius de lebetibus tepidam aquam, quandoque vero de canalibus foetidam aquam appetens, hauriebat. Stomacho vacuo somnus ei modicus vel nullus, ut ita loquar: lacrymis rigare stratum per singulas noctes. Solum erat ei solatium; & ab omnibus monstruosa reputari, & a collactaneis tamquam mortua derelinqui, felix illi fuit exercitium; & in absynthio multiformis amaritudinis, comitante paupertate spiritus, cum Job

ulceroso gratias Deo agere, illi mansit ad bravium. Quanta enim amaritudine spiritus, quantave corporis cruciatione, [despicabilis redditur.] quanta quoque utriusque hominis dejectione tribus annis primis vitam transegit, soli Deo notum est, & illis quibus hoc placuit revelare. Latebat autem Virgo in domo fictili dispicabilis omnibus, gravis quodammodo facta universis.

[19] Qualis tamen fuerit in oculis Dei quæso videamus. Nam interea dum sic famula Domini sub manu Domini tamquam pila rotaretur, [hominem a gladio. Hostis fugientem,] factum est ut duo viri in platea rixarentur, & post verba ventum esset ad verbera: unus autem eorum, altero vel infirmior vel vecordior, fugam sumens, domunculam, in qua Virgo jacebat, ut in ea salvaretur, ingressus est. Statimque apro furentior hostis fugitivum suum adversarium subsequitur, [ad se intrasse fatetur, ac salvat,] & matrem Petronillam spumanti ore alloquitur dicens: Ubi est filius mortis iste? Nonne ingressus est domum tuam? At illa, videns quod gladio extracto vir virum, quasi sanguinis sitibundus, insequeretur, continue virum intrasse tremula negavit. Ille autem quasi furibundus ad camerulam filiæ currens, simili modo ut prius, an illic hostis ejus esset quæsit. Quæ respondit: Vir quem queris, ut reor, hic est. Mirum dictu, tamquam cæcitate percussus, circumquaque respiciens, neminem vidit: sed in mansuetudinem mutatus ex Virginis responsione, discessit, & vir qui quærebatur liber abiens, de salute gratias egit. Mater autem humanum aliquid passa, cum filiam suam virum prodere putasset, [alapa interim a matre percutitur;] & sic sua responsione perimendum timuisset, obiurgatoriis verbis cum alapa cœpit increpare crucifixam filiam dicens: O vesana & impia, quid est, quod dixisti? cur prodis virum, impiissimi hostis gladium fugientem? Hoc autem decebat pietate naturali victa mater, putans quod suo officioso mendacio obsequium gratissimum Domino præstitisset. Illa vero,

**cum patientia multa matris alapam suscipiens, ait: Fides mea talis fuit, o mater, quod potens esset veritas animam viri salvare, qui confugerat ad me. Ex quo verbo quievit mater, & salvatus est sanguis innoxius in illa die: etenim dextera Domini fecit virtutem, fortiorque fuit muliere veritas: quippe propter veritatem & mansuetudinem & justitiam, hoc initium signorum in sponsa sua facere Dominus noster Jesus Christus dignatus est.**

### **CAPUT III.**

**De confluxu aliarum gravium ægriitudinum in corpore, & de ebullitione vermium in ventre.**

**[20] Prodiit igitur, ut antea dixi, propter fracturam costæ, apostema prorsus ab hominibus incurabile; quodque postmodum facta violenta ruptura, fluenteque per diversa membra peccante humore, diversimodas attulit ægriitudines. [Computrescentibus intestinis,] Cæperunt in primo, ex illo, tamquam radicali principio, contigua seu vicina computrescere membra; cæperunt proxima conmarcescere ventris intestina; & cæperunt insuper vermes horridissimi, modo quodam inaudito, de profundo corporis ebullire: qui quidem ita multiplicati sunt & adeo invaluerunt super numerum, ut in uno eodem utero ternam aperturam post corrosionem viscerum facerent, & morsibus eorundem ac humorum marcedine sese mutuo ad terebrandum juvantibus, in Virginis corpore foramen unum ad latus dextrum, aliud vero ad sinistrum, tertium vero circa declivium ventris patebat. Forma trium harum aperturarum mirabilis, & figura tendens ad orbicularitatem; color omnino niger, [per tria ventris foramina vermes scaturiunt,] aspectantibus incutiens stuporem simul & horrorem; magnitudo vero quantitatem fundi scutellæ communis (quemadmodum & ab iis accepi qui viderunt) continebat. Vermium autem sic ebullientium numerus, interdum centum, interdum ducenti, communius**

autem ultra centum per singulos dies. Aspectus eorum horribilis, color quoque eorum griscus, materia quodammodo aquea, spissitudo vero juxta grossitudinem extremæ partis fusi communioris; longitudinem articuli digiti manus protendebatur. Modus quidem hujusmodi vermes evocandi extrahendive vivos hic erat. Fiebat malagma ex adipe frumenti & melle optimo, pinguedine caponis electi simul commixtis: [provocati malagmata quodam,] quod super aperturam virginalis alvi positum, vermes sua dulcedine attrahebat, ne more solito vitalia membra contingerent; ne vivi vivam tanto cruciatu contorquerent. Talibus namque vermibus tabernaculum virgineum quotidiana domus erat, tales fructus per aperturam ventris parturiebat: qui priusquam venirent ad partum, omnia vitalia membra circuire credebantur.

[21] Porro facti hujus occasione contigit novum quod referam. Curatus quidam erat illius temporis, parochialis videlicet ecclesiæ supradicti Schiedam oppidi, professione Religiosus, [ad quod adipem negans avarus Pastor,] Andreas nomine, & ipse dives. Hic cum deliciosum facturus esset convivium, non pauperes & claudos, non cæcos & debiles invitavit, secundum Evangelium; sed potentes & divites, nobiliores & magnates, secundum seculum convocavit. Pro horum igitur convivarum magnifica reverentia, lautiora sibi comparaverat altilia diversarum specierum; capones præcipuos, multa pinguedine longa enutritione confertos. Res hæc Virginem non latuit, quinimo, pauperrima cum esset, per internuntium & postmodum per seipsam, pro obtinenda modica caponum arvina, ut pasceret rodentes vermiculos uteri sui, velut dictum est, humiliter Curatum postulavit. Quid plura? Negat ille, quemadmodum & dives epulo marcenti Lazaro micas; allegat mendax caponum suorum maciem, plus timens temporalis gloriæ perdere laudem, quam Christum in paupercula filia de tantillo consolari. [eum postridie invenit a catto abesis.] Cui & illa

dixit: Rogavi te, Pater, & non exaudisti me: oro cælestem Regem, quia pro reparatione corporis ulcerosi pauperi, tantillum de superfluo tuo semota caritate negasti; ut devoret cattus, quod non accepit Christus. Quod, ut pie creditur, divino nutu factum est. Advenit statuta dies convivii, aptantur capones, extrahuntur de singulis adipēs, & ponuntur in promptuario, ubi parata omnia: sed quod accuratius de sero putatur custoditum, totum de mane invenitur abesum, & quasi a bestiis omnino laceratum. Placuit enim miserantissimo Deo ridiculoso signo, quamquam notabili, servum suum in modico fidelem cautioem efficere, ne cultores Bel & ventris adeo veneraretur, quo minus & ipsa Crucis amica, pro suis miseriis relevandis, pietatis oculo de particulis superfluis provideretur. Hoc autem per digressionem dixerimus, ad propositum nostrum redeamus.

[22] Oportebat itaque in domibus divitum, contra prædictos vermes, [dissoluta scapula] materialia quærere, quibus defenderetur vita Virginis, atque vorax rabies scatentis continuo vermī compesceretur. Cœpit exinde dextera scapula computrescere, adeo quod non nisi fasciis vel mappulis ad hoc aptis in aliam poterat gyrari partem; alioquin compago membrorum fuisset prorsus dissoluta. Quamobrem usque ad diem mortis suæ resupina jacebat, quo & cælum apertius respiceret, ceteris membris corporis tanta invaletudine dejectis, ut solum caput cum sinistro brachio liberius posset permovere. Dextrum quidem brachium ignis, quem vulgus sacrum nominat, usque ad ossa consumpserat, ut nervi chordarum instar in cithara positarum libere plecterentur: [brachium sacro igne consumitur.] & hoc idem brachium tempore multo, uno tantum nervo firmiore pendulum, reliquæ massæ corporis cohærebat. Caput ejus punctioꝝ aculeis & malleationibus affligebatur sursum: frons vero ejus antrorsum, fissura longa lataque, ad modum anfractus deformabatur: [frons & labrum

finduntur, ] similiter & mentum ejus fissura usque ad labrum divisum, cum coagulo sanguinis, tumefacientis loquelæ membra, sæpius loqui prohibebat.

[23] Oculorum passiones inexhorribiliter pertulit: quorum altero penitus extincto, [obtenebrantur oculi,] reliquo lumen naturale ferre sine sanguinis effusione novoque cruciatu non valebat. Dolores vero dentium frequentes, pleno dominio per hebdomadas sæpe ac per menses, [accedunt dolor dentium,] aliquando sine cessatione, ad insaniam usque eam provocabant. Guttur ejus sæpissime squinancia ceterisque passionibus innominabilibus præfocabatur: [squinantia,] adeo quod vix interdum Corpus Dominicum trajicere posset. Tam copioso fluxu sanguis per nares, os, aures & oculos versabatur, ut & videntibus nedum horrorem incuteret, verum etiam devotulos quosque ad profluvia lacrymarum permoveret. [copiosus vomitus humoris sanguinei,] Habebat interea sæpissime rubentis aquæ vomitum, in tanta copia, quod interdum in uno mense vas magnum vix suffecisset capere fusum liquorem, quantum conjuncti bono modo duo viri communiter possent portare. Et siquando a curiosis aliquibus super hoc interrogaretur, unde tantus liquor sibi adventare posset, cum nil alimenti sumeret ut ceteri homines; respondebat, Dicite & vos mihi, o sapientes, unde viti tantus liquor accrescit; quæ tamen in hieme flantibus ventis frigidis, arida videtur & mortua? Sicque sapienter indocta doctis satisfaciebat.

[24] [defectus intestinorum,] Quid ulterius multis immoror? Virgo Christi pulmonis penitus & hepatis partes quasi frustatim (ut audivi ab eis qui viderunt) amisit. Igitur ubera ejus ineffabilibus pustulis atque apostematibus, ut plerumque, [calculus,] saniem emittebant. Calculi tortura mirabilis eam vexans ad mortem usque perduxit: & hic magnitudinem ovi columbæ prætendebat, continui vicissitudinem martyrii suscitans,

stimulis atrocioribus sæpissime sensum cohibens & loquelam. Et hac quidem infirmitate præcipue se mortem incursum prædixit. De ulceribus epidimiæ ne tacuerim, [pestilentia ulcera,] cum illi fuerit donum singulare nonnumquam, in communibus plagationibus & castigationibus Domino super populum terræ illius Hollandiæ, cujuscumque infirmitatis ac pestilentie primitias in corpore pati. Intestinatorum magnam partem (ut inferius) pendulam suo in conspectu diu tenuit: unde marcentibus cunctis partibus inferioribus ventris, sacculus lana plenus, ne prorsus effluerent, supponebatur. [marcor tibiæ & pedum,] Tibiæ & pedum sensibilitate privata, vitam miserabilem annis multis cucurrit: & si super naturam a Domino per intervalla sensibilitas ad tempus modicissimum præbebatur, id non ad solatium, sed ad nova genera passionum suscipienda, mira dispensatione fiebat.

[25] [febres diversæ,] Cujuslibet speciei febrium, diversis tamen temporibus, paroxysmos passa est: nam hecticam, tertianam, quartanam sustinere contubernale fuit. Nunc simplici, nunc composita, nunc ephemera, nunc acuta fatigari, ludus putabatur quotidianus. Ultra quid protraxerim? Nempe in corpore non erat membrum, quod xenia dolorum inauditorum evaserit. Non in latitudine medicinalis facultatis ægritudo memoratur, cujus donativum non persenserit: non in venis gutta sanguinis, [omnis generis morbi:] quæ subterfugerit virgam Dei paternaliter castigantis. Noverit tamen pius lector, quod harum ægritudinum aliquæ fuerunt permanentes usque ad extremum vitæ; aliquæ vero perseverantes in Virgine ad tempus, certorum scilicet annorum, mensium, hebdomadarum, dierum, horarum. De sanitate verumtamen naturali annis triginta octo novit minime: de gratia vero Domini nostri Iesu luculenter valde.

[26] [quorum initio aliquid humanum passam Lidwinam] Sed de hac materia nedum ad propositum: quandoquidem cum initio passionum harum a Domino est prostrata, humanum aliquid obrepsit animam ejus per hunc modum. Factum est una dierum ut audiret ridentes simul & jocantes iuenculas, vitularum more, quemadmodum post epulas genus illud consuevit: quapropter sui ipsius oblita, cœpit amarissime lacrymari, tamquam quæ absque ulla spe recuperandæ sanitatis quasi compedibus detenta jacebat, & a coætaneis oblivioni data esset, mortuaque a corde. Quis sanæ mentis, novitiam querelari cohibeat, sub ferula tam gravis disciplinæ, quæ mærorem habet, sic prostratam? necdum spiritus unctione delibutam? nondum scuto patientiæ Christi communitam? cujus in dolore vita, [mirum videri non debet.] cujus anni in gemitibus? cujus turbatus est oculus, cujus turbatus animus? cui non est in carne sanitas, nec pax ossibus ejus? Quis ex Sanctis omnibus, propriis naturalibus derelictus, cui vivere mors & cui mori vita, præ tædio non esset passus aliquos pusillæ patientiæ motus?

[27] Nempe ad consolandum Job convenerunt amici, cujus Sathan carnem tetigeret: & nihilominus patienter impatientis, & mira loquentis spiritum Dominus in solido posuerat ne peccaret: sic quoque nostra Lydwina, in primis quatuor annis humiliationis suæ, secundum interiorem hominem necdum a pigmentario Christo plenius delinita, secundum exteriorem hominem patiebatur impatiens. Quapropter molestum erat omne quod videbat, molestius omne quod tolerabat; molestissimum quod ab eo qui vulneraverat eam ulcere pessimo, quamvis spiritum ejus aliquatenus in gratia stabilivisset, nondum tamen illi per abundantiam redundare desuper in vires inferiores extitit concessum. [cum primis quatuor annis necdum adessent divina solatia.] Unde factum est quod ipso tempore querulosi



ploratus, cum sic lacrymaretur, supervenerint parentes vetuli, ut consolarentur natam suam; venerunt & quædam collacteneæ, ut confortarent sociam; venerunt propinqui & noti ejus, ut verbis recrearent consanguineam: sed molestus efficitur consolator omnis & gravis, cum non est qui medeatur vulneribus, non est qui prostratam a Domino relevet, non est qui spiritum consolari possit ex omnibus caris ejus. O, inquit, me miseram inter viventes! O me abiectissimam inter morientes! Quare facta sum in opprobrium vicinis meis, & timor notis meis? facta sum velut vas perditum, velut abiectio plebis. Sed qualiter hanc Dominus solus consolari dignatus fuerit, animadvertamus.

#### CAPUT IV.

De virtute patientiæ sibi divinitus concessa, & qualiter cœpit in ea proficere.

[28] Suscitans igitur suscitavit Dominus spiritum hominis Dei, [Ioannes Pot] cui nomen erat Ioannes, cognomentum vero Pot, quod Teutonice, Olla, dicitur (& merito, quia mors in olla Lydwinæ cum esset, propter colocynthidas passionum; hic, tamquam missus a Deo farinulam protulit, scilicet diem consolationis) qui ita Virginem affatus est dicens: Noli, filia, noli amittere confidentiam tuam, quæ magnam utique habet remunerationem. Patientia tibi summopere necessaria est, [virginem animat ad patientiam,] ut voluntati Dei tuam conformans, vitæ perpetuæ repromissionem accipias. Christo etenim in carne passo, & tu ipsa, quæso, eadem cogitatione armeris. [Phil. 2. 5] Nonne Apostoli verba sunt hæc? videlicet, Hoc & sentite in vobis quod & in Christo Iesu. Quis in mundo contemptibilior aut in plebe? [exemplo Christi,] quis illo in universis convitiis contumeliisque patiendis patientior? quis in flagellis mansuetior? quis in tormentis omnibus constantior? quis usque ad mortem,

mortem autem crucis, pati obedientior? Vide igitur humilitatem ejus, laborem, sudorem, vide denique dolorem & angorem. Respice in faciem Christi tui & sponsi, qui sic te elegit sibi famulam, ut sua imiteris vestigia, ut suppleas ea que desunt passionum ejus.

[29] [cujus Passionem meditari hortatur:] Hæc & similia pius Dei Sacerdos ex caritate docuit eam, concludens tandem, quod in recordatione paupertatis Iesu, quam pertulit in hoc saeculo, similiter & absinthiosæ Passionis, diem ac noctem transigeret, dum posset. Nempe sine meditatione hac non æstimabat vir Dei, virginem adolescentulam horas pariter & languores æquanimiter posse pertransire. Spondit illa se facturam ita: verumtamen cum necdum spiritum illum acceperat, cœpit pedetentim tamquam inexperta cogitare facta Salvatoris. [ex quo illa primum proficit nihil;] Sed cum de farinula Elisæi viri Dei, qui Christus est, in ollula sua necdum acceperat, amarum & insipidum videbatur esse omne quod sic in animoolvebat. Reditur ad querelas: Etenim mors in olla. Itur ad lamentabile carmen, ut prius, cum deest farina. Quam dulcia sunt eloquia Domini in faucibus devotorum, palatum mentis non percipit: quam dulcis sit vox turturis, auris obturata non advertit: donec rursum qui prius venerat, secundo veniat, Dominus scilicet Ioannes Pot, directurus pedes ejus in viam pacis.

[30] [& hoc ipsum ingenue fassa,] Hic ergo cum venisset, perquirere cœpit, quantum in libro caritatis profecisset. Cui respondit: O pater, inquit, studium optimum, sed ignotum consulisti: jugum grave, quamvis studiosis suave, persuasisti: sed quia super me tumentes fluctus dolorum aggravantur, insulsum redditur omne quod de Christo Salvatore meo recogito. Cernens autem in Virgine vir Dei bonam voluntatem, gaudens, ait: Carissima filia, labor improbus omnia vincit. Mitte manum ad fortia: esto quasi virago. Necesse est, tibi ut vim inferas. Depone

prius ab amygdalo corticem: contere testam, ut eruas nucleum. Non enim, o filia, [docetur perseverare in hoc exerciti] Moyses ad primum ictum virgæ suæ aquas excussit de silice. Persevera & vinces. Cui filia, Quomodo, inquit, faciam, Pater? quoniam præoccupant me gemitus mortis, dolores animi & corporis circumdederunt me adeo, ut quod agere volo non possim. At vir Dei Ioannes rursum. Video afflictionem tuam, perpendo satis dolores tuos: sed quid hoc si teneritudinem, innocentiam, nobilitatem, acredinem, si acerbæ mortis processum attenderis dilectissimi Domini tui, qui crucis in statera pro te pependit? Desine igitur amodo æmulari in salientibus, nec æmulaveris facientes iniquitatem: noli ponderare florem inventutis fatuarum sociarum, quæ tamquam olus herbarum cito decident: quia parum aut nihil pulchritudo formæ confert, ubi de anima sordida & deformi quæretur iudicium. Quid nunc obest existentibus in cælo, quod fortitudine sua propter Christum privati sunt per martyrium aut ægrotationem; quod jocis, deliciis atque divitiis voluntarie caruerunt, dum viverent solo contenti Sponso, quondam infirmi nunc accincti robore; ubi quondam egentes, [addita consideratione æterni præmij.] nunc divites ac locupletati sunt? Dudum etenim tristes, nunc autem gaudentes; olim esurientes, nunc vero satiati; claudi & impotentes, nunc sicut cervi saliunt. O carissima Lydwina, hæc erit portio tua, quæ perducet te in terram viventium, esse videlicet mitem & humilem corde. Scio quoque quod proprio conatu virtutes has nancisci non vales, nisi adiutorem illius habueris, qui dixit: Sine me nihil potestis facere. [Joa. 15, 5] Hunc revera si aspiciendo in cruce perseveraveris, in veritate doceberis; si audiveris, sapiens fies; si toleraveris, requiem invenies; si subsecuta fueris, refectione suavissima perfrueris.

[31] [ac denique sumpta communionem] Cæpit igitur ex tunc Virgo manum ad fortia mittere; cæpit denique intellectu & affectu de torrente Passionis in via sitire:

cœpit e schola cœlestis magisterii humilis discipula primum alphabetum describere. Quid igitur plura? Contigit ut idem Sacerdos iterato veniret, Corpus Dominicum secum ferens reverenter, ut moris est ad languentes ejusmodi, ut ipsa tunc temporis erat: quo sumpto de reverenti manu, tertio jam cum paterno affectu Virginem cœpit ita affari dicens: Alias tecum de Domino Deo, ut te ad Passionem ejus inflammarem, feci sermonem, & jam ipse te alloquitur, dilectam, ut credo, filiam, gloriosus Dominus Deus tuus, qui pro te & propter te passus est, crucifixus, mortuus & sepultus: qui, [interius immutatam se sentit:] si bona & fortis æmulatrix fueris, merces tua erit magna nimis. Mirabile dictu Vix Sacerdos verba finierat, & ecce percussit Dominus cor lapideum, & fluxerunt aquæ largiter. O mutatio dexteræ Excelsi! o bonitas Dei immensa! Quid aliud canit Psalmista? Emitteret, inquit, verbum suum, & liquifaciet ea: flabit spiritus ejus & fluent aquæ. [Ps. 147, 1] Nempe diebus quindecim vix a lacrymando potuit contineri.

[32] Ab illo die cœpit oculos mentis aperire, cœpit increcente infirmitate robur spiritus concipere, cœpit omne amarum carni spiritui dulcescere; [& fructuose assuescens Passioni meditandæ,] adeo ut nil ei saperet nisi solus Iesus, & hic crucifixus. Proinde septem in partes ipsius Passionis ordinem distinxit per dies singulos, quo nec ullum temporis momentum transeat supervacue, quin absynthium Passionis revocaret ad mentem: sicque tali exercitio se dedicavit, ut sæpius vigilans per dies & noctes, horologium temporis distinctim habere in mente putaretur. Ex flammifera meditatione crucis Christi in tantum inflammescere cœpit, ut non se sed Christum Dominum in se pati diceret, tanta caritate jam victa. Jis igitur exercitationibus docta Christi discipula, crevit in utroque homine, donec annum suæ visitationis in grabatulo attingeret octavum.

**[33] Ceterum amplius & amplius excrevit in corpore putredo, [suas ægritudines etiam amare incipit:] scaturies vermium in dies concrevit, viscera commarcuere magis; & velut concha stilla roris, hericeus spiculis, ita Virgo passionibus replebatur. In omnibus his non peccavit labiis suis, nec stultum quid, vincente amore, cogitavit: sed in atrocissimis dolorum aculeis, quibus sæpissime usque ad stridorem dentium necessitabatur, Deo non modo gratias referebat, verum etiam ipsas ægritudines augeri magis quam minui peroptabat. Interrogabant eam plerique si ejusmodi ægritudinibus omnino carere vellet: respondebatque, Posito quod unica salutatione Angelica omnes a me facillime possem repellere quas dicitis passiones, minime vellem: [earumque incrementum aliquando petens] usque adeo in flagella Domini parata sum, ut malim esse relicta sub pœnis, quam penitus privari eisdem. Contigit semel tempore carnis-privij, quo populus Germanicæ plus studet comessationi quam devotioni, plus calicibus epotandis quam pauperibus refocillandis; revolvendo amaram Passionem, revolvit ipsa & populi Christiani multam ingratitude, dicendo ad Dominum: Domine mi Deus, omnipotens & clemens, tuam pietatem deprecor, quatenus mihi novo quodam ægritudinis ostendas indicio, [semel gravissimum cruris dolorem,] quod tu ipse sis, & non alius qui castigationes istas super me permittis & immittis. Novum valde! Dedit illi tantum dolorem in uno crurium, tantamque patiendi materiam ab illa Quinquagesima usque ad Paschale festum inclusive, quod amodo tale quid tam instanter petere formidaret, sicut ab eis accepi qui familiarius ei adhærebant quoad vixit.**

**[34] In proprio corpusculo percipiebat, ut superius commemoravi, si quae propter peccata populi Dominus immissurus esset flagella Provinciae, unde semel factum est quod narro. Instante quandoque tempore pestilentiali, tamquam sedula mater, [alias pestilens ulcus impetrat.]**

inter iratum Patrem & reos filios se mediam posuit: quæ mox bino percussa est ulcere, in gutture videlicet & sub corde. Unde cum gratias humiliter Deo ageret, cum lacrymis addidit & rogare Dominum, in honore Trinitatis semper benedictæ, pro tertio. Quod & statim, quasi telum de stridenti arcu, uni genarum ejus inflictum est: de quo, tamquam victrix de aurea fibula, & velut sponsa de signo in facie ab amatore posito, magnopere lætabatur. Unum autem illorum pestilenticorum ulcerum, utpote quod in inguine fuerat a Domino inflictum, adeo infistulatum est, ut ceteris divinitus curatis, pro monili una cum prioribus vulneribus jugiter ei cohaereret. Patet igitur ex hoc, quomodo in amica sua speciali dederit Dominus metuentibus se significationē ut fugiant a facie arcus.

## CAPUT V.

De febribus ejus ac hydropisi, ac de intestinorum ejus extractione, & subtractione cibi & potus & somni.

[35] Talibus igitur visitationibus crescens patientissima Christi vernula Lydwina, stigmata Domini Jesu jugiter in corpore suo gestabat: quæ artifex subtili artificio novisque malleationibus dietim reformabat. Erat enim quasi lutum sub manu figuli, quod in factorem non remurmurat: erat sicut argentum in conflatorio, quod sub argentario purgatum clarius sonat: eratque velut aurum in camino tribulationis, quod probatum gratius custoditur. [Cum febres paene continua essent,] Calores & ardores febriles, ut dixi, domesticos habuit: talisque modus februm fuit ei. Præcederat in primo calor quidam gravis & innaturalis, quem frigus & horripilatio vehemens mox sequebatur, Post modum mutabatur vicissitudo, ita ut præcederet frigus intolerabile, quod inexorabili caumate finaliter claudebatur. Hujusmodi febris adeo gravis erat, ut stante fervore paroxysmi rationis expers fieret, similiter vim loquendi perderet, uti voce & scripto accipi ab iis qui

viderunt multoties sic æstuantem. Raro vel numquam, omni tempore quo decubuit Virgo, sine aliqua febre permansit, etiam ad horam: sed ista specialiter dilectam probavit præceteris, quasi in camino ignis, supra quam dici possit.

[36] Videntes rursus amici eius quod plus solito gravaretur in corpore, addiderunt adhuc medicos consulere, [& aggravarentur infirmitates;] quid facto opus sit, si forte sit spes. Volat usque ad aures Comitissæ Hollandiæ, quæ Margarita dicebatur, patientiæ nostræ Virginis fama: quæ sumpto secum proprio medico, quantocyus illuc festinare cœpit, ubi Virgo languebat: & visa ea commota sunt omnia viscera ejus, tugurio, persona, languoribus, ceterisque compensatis. Accessit igitur expertus medicus, nomine Godefridus; & extractis arte sua de corpore intestinis, reverentius ut potuit, marcidis seorsim positis & sanioribus reservatis; comperit quod de spina dorsi vermes supradicti suam traherent originem, eo, ut asseruit, quod nullo salso multo tempore usa fuisset. [medicus ejus intestina scrutatur;] Insuper & hoc locutus est: Adhuc modicum tempus, & hydropisis replebit Virginem hanc: & ex tunc nullo liquore fomentabitur vel potu. Cujusmodi rei veritatem futura protestata sunt. His igitur seriusissime per medicum peractis, valefecit amicis & Virgini; partim mœrebundus, quod patientis dolores auferre non potuit; partim vero gaudēs, quod verum se dixisse cernebat, de Domino in adolescentula, utpote quod magna & inaudita facturus esset mirabilia. De intestinis autem illis pars quædam, ut fertur, condita est jussu Lydwinæ ipsius; pars vero reliqua suspensa coram ea, quam & multi viventium propriis adhuc oculis perspexerunt.

[37] Tracti sunt exinde plurimi de remotis, ut & ipsi vas dominicæ sãctificationis inviserent: [alius ei suecos quosdam applicat:] in quibus herbarius quidam

astutissimus venit, putans quod suis resolutionibus aquarum in Virgine proficeret: sed quamquam omni studio, rore cæli super chartas odoriferas herbarum observato, eodemque super foraminibus prædictis applicato, paulisper claudendo unum, videretur proficere; [sed curationem sequitur hydrops.] proh dolor! mox turgente hydropisi in parte illa, fiebant novissima pejora prioribus. Virgo quippe patientissima, ne pusillos scandalizaret (quamquam sane nosset a Domino fieri quod sustinebat) ne videretur de se præsumere, aut Dominum velle tentare, cuncta quæ suasu simplicium consulebantur, patiebatur simpliciter. Nihilominus post omnem hominum solertiam, duplicatis doloribus, mente & spiritu redibat ad eum, qui medendo vulnerat, & vulnerando medetur quos amat.

[38] Constat præterea animal quodlibet perfectum, [interim aegræ omni paene cibo abstinet,] sumpto cibi potuque pro continuatione vitæ indigere: constat etiam ex putridis humoribus, præsertim ubi vermes oriuntur & scatent, fœtorem simul naribus olfactuive aggenerari. Veritatem autem dicam: Lydwina etenim nostra annis triginta & amplius panem non comedit, quantum vir sanus & incolumis pro tribus diebus necessarium vitæ habet: sic nec somnum cœpit, qui sano sufficeret tribus noctibus competenter. Præterea de odore idem dixerim, [nec gravem ullum de se odorem emittit.] quod in omni tempore quo vermes ebullire visi sunt, quo compago membrorum cœpit dissolvi, nil fœtoris in iis omnibus percipitur, nil infectivi exhalatum, nil olfactui aut naribus offensivi ab ea præsentatur. Domus ejus nihilominus erat bassa & humiles nimis, camerula ejus sepulcro defunctorum similior quam thalamo. In tot annis terram non calcavit. Sicut nec multis annis nil sumpsit, ita nec superfluum a se rejecit. Immobiliter fixa & resupina jacet in stratu suo. Solis & lunæ beneficio non gaudet quamdiu jacuit: quippe tamquam quæ collocatur in obscuris, inter



mortuos seculi anxiatum vita eius. Quis umquam talia percepit auribus? quis, nisi similia perspexissemus in diebus & finibus nostris, crederet hæc? Nempe per ea quæ vidi & video, compellor etiam credere quæ non vidi.

[39] Proinde de subtractione victus eius parcissimi sermonem habere operæ pretium est. In ipso siquidem primorum initio annorum sumpserat saltem interdum modicum pomi fragmentum, ad spissitudinem parvæ hostiæ: quod etiam inter ferreas tenellas candentesque compressum, insipidum omnino reddebatur: [modico ad huc liquore utens,] & siquando buxellulam panis cum modicissimo liquore lactis ac cerevisiæ deglutire contingeret, hoc pænose atque difficulter valde trajiciebat. Successu vero temporis, juxta prognosticationem Magistri Godefridi Sonder-dank, derelicto etiam illo solido pabulo, modico cynamomo ac dactylo rarissime usa est. Ad ultimum vero quovis cibo privata, vino sobriissime sed lymphato, cum liquida zucara sub quantitate mediæ pintæ, mensuræ Comitatus Hollandiæ, potius stillandi quam bibendi causa, per integram hebdomadā sustentabatur. Quid autem Dominus in suppletionem vini operatus sit, eo tempore quo sic raro vino parumper utebatur, dicetur in secundo capite secundæ partis, scilicet profectivæ, ubi de suppletionem defectuum sermo prolixior habebitur.

[40] Parentum quidem sæpius ob inopiam, aquam fluvialem afferri faciens, an defluxu aut refluxu sumpta foret, quasi physica discernebat: [aquam salsam experitur suavem:] & quamquam ex vicinitate sinus marini importunitate ventorum vel procellarum aquæ fluminis salsedine maris confundebantur; cooperante illo qui cooperatus est Moysi & Elisæo super aquas amaras, adeo dulces reddebantur, contra naturæ morem; aquæ prædictæ ut tamquam vino condito, uteretur illis ad tempus. Sane quoque cum ablatione corporalis alimonie

pari forma somnus prorsus ab ea auferretur, [appetentia somni tempore Missa vexata,] & consueto more vocali seu mentali devotioni operam daret, satagente spiritu torporis & desidiæ, mirabiliter cœpit in suis exercitiis præpediri. Et quia signanter tempore Missarum (quo toto conamine, absens licet corpore, spiritu tamen præsens esse satagebat, nec posset) consuluit suum super hoc Confessorem, quid agendum suaderet. Confessor vero discretus, hostiles nequitas depræhendens, quatenus vel ad relaxationem spiritus aut ad turbationem saltem interioris animi ab amoris vel meditationis fructu retardari posset; vidensque quod quanto resisteret tanto plus vexaretur, suasit omni tempore dormiendum quo facultas adesset, etiam quacumque temporis hora tentator adventaret Sumpto Patris consilio successit dies festivitatis eximiæ, videlicet Paschæ, quo etiam qui peccatis mortui fuerunt conantur per gratiam resurgere: & ecce somni meditatio supra modum orantem gravare cœpit: [tandem ea necessitate prorsus liberatur.] quem ob reverentiam festi declinans, capitis manusque quam movere poterat diligentia vigilique violentia, ex tunc confuso tentatore, diem mortis adusque sine dormitione quacumque coronanda perseveravit. Et hoc de subtractione cibi ac potus & somni dixisse satis est.

[41] Amodo scripturus vitam ejus, locorum & temporis ordinem congrue servare nequiens, [variis ad Virginem videndam accedentibus,] ad compactas veritatis materias (ut manifestentur opera Dei in Christi famula) luculentius, licet simplicius, me convertito. Confluxere plurimi videre virginem, boni videlicet & mali, sapientes ac insipientes, tam simplices quam curiosi: hi ut ædificent & ædificentur; alii vero ut videant & judicent, mordeant & detrahant, quærant & insidientur. Venientes autem illi nihil viderunt formæ speciosæ forinsecus, nisi vas fictile, vas lacerum atque confractum, vas monstruosum, imaginem mortis: sed cognoverunt intrinsecus in deformi formosum, in fictili

vase cæleste donum, in contracto vasculo sanctificationis balsamum, in monstro singulari mirabilem Dominum, in mortis imagine auctorem vitæ speciosum præ filiis hominum. Quærit curiosus unde sibi materia febris, quæ nihil sumeret alimenti. Miramini, inquit, fratres, unde mihi tanta febrium mearum materia? [neque satis quæ gerebantur in ea capientibus,] miror ego potius cur per menses singulos ad quantitatem dolii magni non exuberem. Vos crucem meam judicatis, quam videtis exterius: unctionem autem non judicatis, quia non videtis quod interius latet. Quasi velit dicere, quod secundum multitudinem dolorum erat & multitudo consolationum, quas ipsorum curiosorum deliciis, quantumcumque splendidis, præponebat.

[42] Sicque cursitantes properabant ad eam protervi nonnulli scioli, protervi garruli, cæci de quibus ad Timotheum loquitur Apostolus, quia devitandi sunt: quos tamen virgo pudibunda, tamquam signum ad sagittam posita; fugere minime poterat nec fugare: [alii sinistre,] quorum os ponebatur in cælo, & lingua transibat in terra. [2 Tim. 3, 5] Nempe tallium insensibilitatem detexisse videtur Apostolus cum dicit, Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt. [1 Cor. 2, 13] Talibus namque tamquam incredulis, opera Dei potius naturæ quam gratiæ tribuentibus; cum vidissent Christi sponsam tam despecto loco in obscuro tuguriunculo positam; [alii bene sentiunt.] blasphema lingua labiisque iniquis resolutis dicebant, quia vorax est, potatrix vini, vel quia dæmonium habet, & ejusmodi multa ut audivi. Alii autem quibus mens sanior erat, Deo dantes honorem; dicebant, quia vere a Domino fiunt hæc, & sunt mirabilia in oculis nostris. Quippe spiritualis homo dijudicat omnia. Si quis tamen blasphemus istiusmodi sequi velit, dicat impossibile apud Deum omne verbum; aut, quod instrumentum testimoniale, quod a ludicibus oppidi dicti Schiedam per manum tabellionis exaratum est sigilloque Communitatis

**communitum, falsum sit: in quo tamen mirabilia, quæ fecit Dominus in Virgine, describuntur: cujus copiam de verbo ad verbum proposui operis hujus in exordio: quod eatenus feci, quatenus habeat pius lector quo gaudeat super veritate, aut detractorem Virginis ad veritatis agnitionem perducatur; ipse autem protervus, quo compescatur a morsibus & latratibus. Habes & aliud testimonium efficax ab inimicis, utpote stipendiariis Capitanei temporis illius in Schiedam, qui sex numero novem diebus & totidem noctibus ambierunt lectulum Virginis, quemadmodum suo loco disertim ac congruentius describetur.**

**[43] Beatissima igitur Virgo Lydwina, velut odor vitæ bonis & sanis, odor vero mortis facta malis, sub humili tugurio, velut Job in sterquilinio jacebat: [Non ferens concursum ad suaveolentiam intestinorum suorum,] quæ tamen velut astrum matutinum, coram Deo spiritu lucebat, facta velut apotheca cælestium aromatum, effecta velut cella suavium pigmentorum; quamvis revera frustatim vitalia, tam pulmonis quam hepatis quam etiam viscerum seu intestinorum, integritati corporis necessaria, longo marcescentia cruciatu diroque vomitu perdidisset. Hæc tamen omnia, sic amissa particulatim, pro fœtore, merorum instar electuariorum aut aromaticarum specierum de se præbebant odorem: & qui propriis manibus confricarunt atque contrectarunt, testimonium perhibent de his. Porro propter concursum devotorum ac devotarum, rem tam mirabilem videre, tractare & odorare cupientium, ne forte applausu hominum perderet thesaurum gratiarum quem cumulabat, & ne favoralis auræ flatibus retardaretur ab iis quæ cupiebat; nihil finaliter eorum, quæ sic frustatim emiserat, passa est reservari: [iubet ipsa sepeliri.] sed universas & singulas intestinorum particulas, tam siccas quam humidas, tum etiam reservatas in pyxide modica, fodi jussit in terram. Sane igitur Lydwina, tunctionibus variis expolita, cibi, potus & somni beneficiis destituta, luminis corporalis**

gaudio privata, vili domuncula quasi in ergastulo, mira Domini dispensatione, sub manu summi fabri adhuc malleanda, vino & oleo piissimi Samaritani quandoque perungitur, & secundum verbum Apostoli, aliis odor vitæ ad vitam, aliis vero odor mortis in mortem, reservatur. [2 Cor. 2, 16]

## CAPUT VI.

De morte matris Lydwinæ & de paupertate ipsius Virginis Lydwinæ maxima.

[44] Porro quia de infirmitatibus Virginis nostræ dixerim generaliter; descendere libet amodo, quemadmodum & prætuli, ad specialia quædam. Erat quippe mater Petronilla mulier senex facta, sed laudabilis & timens Deum. [Morituræ matri anxieque,] Hæc cum processisset in diebus suis, ægritudinem incurrit, de qua & mortua est. Cumque deploraret dies adolescentiæ, non sine juvenili vanitate, satis tamen, ut putabat, infructuose peractos; tandem in hæc verba flendo prorupit: En, inquit, morior paupercula, cum nihil boni fecerim cunctis diebus vitæ meæ: nihilominus pro dilatatione vitæ hujus transitorie, [omnia sua merita transcribit Lydwina;] nollem vel minimum vermiculum debere occidi. Sed utinam, unica filia mea quam ubere meo lactavi, pro delictis & ignorantibus meis intercedere digneris ad Dominum: & læta moriar. Quod cum audisset miserantissima ejus filia, nimia compunctione superfusa, matrem de profundo sui cordis ita affatur, dicens: Constanti animo esto, mater mea, & manum Domini sustine patienter: in januis est Salvator, qui contritum cor tuum ac humiliatum non despiciet. Preterea si mea minima, sicut Dominus pietate sua facere dignatus est, opera, tua fieri velis: en tibi quantum possibile fuerit, ea in caritate prorsus tribuo: labores & dolores, ulcera & plagas, torsiones & vermes, vigiliis & lacrymas, oratiunculas & exercitia quævis

**recipias: eo pacto tamen ut te per omnia divinæ voluntati resignes, nihil hæsitans quoniam ipsi de te cura est summa, tamquam salvari potenti & valenti.**

**[45] Audiens autem hæc mater ejus, expansis in cælum manibus, [& pro restauranda jactura cingulum cilicinum sumit:] quasi securum naulum nacta, gratias Deo retulit, qui talem sibi fructum consequi concessit in filia. Migrat igitur ad Dominum pia mater: & quasi nihil jam meriti possideat, nudata propriis, ut autumat, humilis filia; quasi grandia factura, manum mentis & corporis ad fortia mittit: denique cingulum latum, grossum & hispidum, de pilis equorum contortum emi sibi procurat, ut eo tamquam balteo succingatur. [peculium in pauperes distribuit,] Quod super marcidum corpus stricte renodans per omnes dies vitæ suæ, propter marcedinem corporis, qua marcebant etiam cingula, ipsa incessanter portabat. Cœpit modicam substantiolam, quam vivens adhuc ante obitum commiserat mater, distrahere; distractam in pretium, minus tamen debite, commutare; commutata pauperibus distribuere: divinum fœnerandi modum pro acquisitione margaritæ cœlestis invenire. At ipsa cum manum aperuisset inopi, cœpit egere præ cunctis magis ipsa.**

**[46] Verum quod felix mediatrix dietim cum Maria matre apud diversorium Bethleemiticum pernoctabat in spiritu, [in paleis & assere jacere instituit,] tanti regis ac sui regalis stabuli zelatrix, cum adhuc culcitra superesset, eam jussit auferri. Et quidem præter hunc zelum causa satis miserabilis aderat & multiplex; tum quia secretas patiebatur infirmitates aliquas; tum quia lintei panni cum culcitra putruere subter ea præ marcore corporis & humorum; tum quia putrefacta culcitra plumæ adeo marcido corpori adhæserunt, ut nullatenus arte vel ingenio, de medio plagarum suarum sine novis stimulorum cruciatibus valerent auferri. Ob hujusmodi, ut corpori**

sublata est lecti mollities; & suppositis paleis simul suppositus est miserabilibus membris ejus asser durior; super quem resupina semper jacens, dies & noctes cum Christo ducebat insomnes. Hæc sine lacrymis quis referat? Nusquam mihi hodie tale speculum, nusquam mihi tale pietatis exemplar. Optimum Virgini, super asserem sic dejectæ, memoriale dabatur per hoc ejus qui nudus pependit in cruce, ac clarissimum vulnere ejus repræsentaculum, sic assidue jacere cum dolore.

[47] Et ecce diebus illis supervenit hiems valida nimis, [sustinet dirissimam hiemem,] qua nulla in memoria mortalium illius temporis extitit vehementior, ut præ prolixo gelu frigoreque nivis extensæ, vulgari vocabulo, longa hiems, per excellentiam acceperit nomen usque in diem hanc. Jacebat igitur Virgo; quasi in diversorii præsepio, in frigore & nuditate, in stridore & calamitate, adeoque sæpissime in extremis membris frigida & rigida, in mediis vero penitus impotens inveniebatur. Non sinebat substerni plumas tumens hydropisis: desuper operiri duplicibus negabat coacta simul & voluntaria pauperies: ad invisendam dilectam, permittente Domino, friguerat caritas multorum: tantaque livedine, [& sanguine lacrymatur.] præ gelu intenso, superfundebatur corpus illud virgineum, tantoque tumore reddebatur invalidum, ut vix calefactura vel adminiculo quovis ad pristinas & communes ægritudinum reduci posset species. Genis etiam sæpius adhærebant sanguinis guttæ, fluentes ex oculorum alveolis; & sæpissime aquæ, quæ forti forinsecus formante gelu, tenacius congelabantur. Haud dubium quin solo more humano defecisset, si non Dominus in iis omnibus mortuus mirabiliter mortuam conservasset. Denique si quid ei dabatur, superfluum sibi extemplo fore formidans, quasi alieni juris foret, magis egentibus suo judicio trans mittebat. Dominus enim dux ejus esse voluit, qui non derelinquit sperantes in se.

[48] Eo tempore vir magnus quidam erat, venerabilis ætate senex & vitæ immaculatæ, nomine Wermoldus, [sanctitatem ejus in raptu edoctus D. Wermboldus,] vir utique magnæ famæ ac timens Deum, reveritus a multis: hic ad Virginis nostræ notitiam hoc ordine pervenit. Factum est dispensatione divina, quod in solennitate Dominicæ Annuntiationis, spiritus utriusque, tam dicti Wermboldi quam etiam Virginis Lydwinæ, mysterium Dominicæ Incarnationis meditando similiter, agente Domino convenirent; modo siquidem mirabili, spiritibus existentibus in corpore, an extra corpus, nescio, Deus scit. Hi ergo cum uno exercitio unove voto circa dictum sacramentum, ad quod solvendum magnus Baptista Ioannes se indignum protestatur, humiliter sese dedicassent; factum est ut corporibus semotis, spiritus mutuo in tertio cælo convenirent, tantoque caritatis vinculo se vincirent; ut redeuntes ad id quod animale est, quis comes raptus hujusmodi, & qualis, ubi moraretur, nosse corporaliter anhelarent.

[49] Pervenit igitur ad aures viri Dei Virginis diffusa notitia: ad quam invisendam illico, [eidem a se visitatæ] seclusa mora, concito itinere properavit. At ubi domunculam intravit, cernens domus inopiam, audiensque rei gestæ flebilem ordinem; attendensque faciem tumorosam, fissam & lividam; corpusculum putridum, sed non foetidum; scatentem vermibus, sed spirantem bonis odoribus; cæcam oculo, sed & fissam labio; præ admiratione vir pietate plenus flere cœpit: insuper telo virginalis æquanimilitatis perfossus & transfixus, [eleemosynam largitur;] fit inter eos gratissima de divinis collatio mutua, sermo vero ultimus de necessitatibus corporis ejus (utpote sine quibus subsistere vita viatoris non potest) altrinsecus habebatur. Misertus est igitur verecundæ pauperiei paupertatis amator præcipuus: de marsupio suo mox argenteos triginta protulit: atque ita



valefacto Virgini, in crastinum ad usque illic vir Dei & Virgini devotus permansit.

[50] Altera quidem die vir spiritu Dei plenus, cognita crudelitate incolarum oppidi, [arguit duritiam Schiedamensium,] qui virgineis miseris misereri non didicerant, quasi zelator alter Elias, locum prædicationis conscendit: tantoque fervore verbi Dei feralia corda ferire cœpit, ut quasi novum hominem adversus saxeos viros crederes suscitatum. Reverebatur autem non immerito Virginem Christi vir sanctus, sanctitatis amator; quapropter venientibus sæpius ad invisendam eam [testabatur] quoniam Deum in eam tamquam in tabernaculo novo mirabilissima facere cognoscebat; unde quoque & verbum hoc de ea locutus est: [diu certaturam prædicit,] Magnum revera & amplum hæc Virgo fundamentum posuit, cujus ædificium nequaquam ad perfectum in brevi tempore poterit fabricari. Quod utique futurorum multorum præscius aperte prædixit: quoniam, ni fallor eo tempore nondum Lydwina nostra medium sui cursus languendo cucurrerat: & si parum distaret a medio, longe tamen adhuc distabat a termino, quem constituerat sibi Dominus.

## ANNOTATA.

Cornelius a Lapide super cap. 3 Matthei vers. 11 corrigiam calceamenti, quam se indignum soluere profitetur apud Lucam Baptista, ex SS. Gregorii atque Hieronymi mente interpretatur Incarnationem Christi. Videri possunt Interpretes alii.

## CAPUT VII.

De tribulationibus ejus novis, & variis angustiis animæ ejus, ac modo se consolandi.

[51] Pensatis a corde intimis viri Dei supradicti sermonibus, nondum ad occasum sol venerat in Virgine nostra Lydwina, [Pauper pater Lydwinae,] sed adhuc scandere videbatur ad meridiem. Quid igitur? Paulo post ærumnas jam dictas, cœpit Virgo in viduo patre ac veterano novos haurire dolores; utpote qui jam edentulus & pauper, de laboritio manuum vivere non poterat: quia [ire] ad custodiendas vigilias noctis in oppido, sicut assuetus fuerat, amodo minime posset: quandoquidem & ipse in supramemorata jam hieme, quæ solito asperior inhorruerat, una cum filia sua miserias ineffabiles habuit, discurrendo per vicos & plateas oppidi, juxta exigentiam officii, noctu; adeo ut pedicam dextri pedis emortuam haberet atque contractam. Hic sanæ mentis vir, quamquam paulisper in dies incolæ de necessariis providebant filiæ; [& de filiæ eleemosynis juvari nolens,] noluit tamen ipse, quantumcumque veteranus, ad necessitatem accipere de oblatis; sed tremulus aiebat, Non licet senem hunc devorare filiæ pauperis eleemosynas, cum pretium sanguinis & peccata hominum sint; sed sufficit mihi paupertas mea ut Dominum lucrifaciam.

[52] Venit interea Dominus Wilhelmus, Comes illustris Hollandiæ, in Schiedam: hic cum audisset quod Dominus operabatur in famula sua Lydwina; [annua 12 aureorum pensione contentus,] misertus venerandi senis, vocato eo dixit: Ob reverentiam filiæ tuæ postula a me quod vis, ad sustentationem senectutis tuæ. Qui respondit: Divitias seculi, o gloriose Princeps, huc usque non possedi, nec in præsentem cupio quomodolibet affluere: duodecim aurei mihi sufficient pro competentia vitæ. Princeps vero illustris, viri senis simplicitatem advertens, accersito thesaurario jussit duodecim aureos annuos viro dari, qui dicuntur scuta monetæ veteris Francicæ. Ne quoque simplici vetulo fraus ac dolus fieret, cautione præstita securum effecit. Esto, inquit pius Princeps ad senem,

æquo animo, nec paveas: quoniam si duplos aureos amplius tibi necessarios videris, [& totus vacans pietati,] ipse jam dicito: quoniam ad inopiam tuam relevandam te vocavi. Factus est igitur pius senex ex devoto devotior, & ex timorato factus timorator, Deo gratias agens atque pro benefico Principe ferventius orans, Missas audiebat. Si quid superfluum ei esset, pauperibus distribuebat abunde. Quantumcumque decrepatus & deficiens visu, ecclesiam tremulus atque cæcutiens frequentabat. Precabatur eatenus filia humilis patrem seniore quatenus domi subsisteret, veritus quod accidit quodque prænoscebat, quamquam taceret.

[53] Una igitur dierum, senum more, domo relicta, [a dæmone proturbatur in fossam,] peditans ad Vesperas, obvium intinere diabolum habuit qui sub specie cujusdam viri sibi noti, mentiens ita senem aggreditur: Quid, inquit, agis? aut quo tendis? Eamus extra portam ut parumper recreemur. Credit vir simplex dæmoni, quem hominem fore credit amicum, & comitatus est illusorem. Qui mox senem extra urbem in foveam quamdam, plenam aquis, pepulit atque disparuit. Cumque periculum esset in mora, & senio impotens periclitaretur in aquis; adstitit a dextris statim pauperis, qui salvos facit filios pauperum: cujus nutu auriga quidam supervenit, per viam non tritam currum ducens insolito, & ut pie creditur, a Deo missus; qui statim obrigescens contremuit, [sed Deo providente eripitur.] & mergentem vetulum ad littus traxit; atque hunc genitorem Lydwincæ, quamquam facie mutatum, agnovit. Tractum igitur super currum suum vexit in oppidum: unde suscitato rumore per urbem, proh dolor! ad aures Virginis pervenit, quod pater ejus in aquis præfocatus esset. Qua de re nimirum naturali quodam compassionis gladio transverberata, extemplo astutiam dæmonis cogitabat: atque in allatione patris, mixto dolore gaudio, quod viveret, Deo gratias egit.

[54] Alio quoque tempore addidit & crudelissimus hostis adurere filiam senis, scilicet Lydwinam, [Lydwina arduentes lecti sui paleas,] hoc modo. Frater quidam Virginis candelam quamdam arduentem, in angulo supra caput lecticæ, in qua quiescebat soror ejus, ne læderetur in visu, minus caute posuerat: quæ, Virgine circa mysteria Passionis occupata, deorsum cadens, parte supellectilium adusta, in palearum strue jam acerrime crepitabat, priusquam Virgo tam horreni periculi cladem deprehenderet. Proinde cum ipsa sic in mediis flammis atque crepitantibus expositam se perciperet, [per se restinguit manu illæsa:] nec esset qui adjuvaret; lævam manum, quam solam levare potuit, ad comburentem atque flammantem materiam posuit, atque sic ignem manu unica extinxit confricando: quo extincto manus eadem prorsus illæsa permansit. In crastino autem admirati universi & stupore concussi, soli Deo, qui sic filiam suam in flammis periclitantem præservaverat, cum diffusionem tanti miraculi, gloriam reddiderunt.

[55] Sane quoque, quemadmodum filiis Israel Dominus, quamdiu in solitudine cucurrerunt, manna mandare non distulit: ita sponsæ suæ, [fatetur se divinis consolationibus sustentari:] non in incertum currenti sed in stadio, panem consolationis internæ non negavit. Cujus rei gratia nonnulli Religionum variarum devoti viri, cum manum Domini super Virginem modo invisio gravari cernerent, pie sentientes de Domino, sub tam patulis vulneribus simul & unctionem impertiri suspicati sunt. Unde sæpius dicebant ei: Latere nos non poteris, o soror carissima, quin Dominus tanta tibi flagella tribuens in corpore, spiritualia misericorditer tibi sua munuscula subministret. Quæ ait. In insipientia mea, fratres mei, dico, quod unctiones quamquam immerita, fundente desuper misericordissimo Domino, interdum suscipio: quoniam sine micis cadentibus de mensa dominorum meorum, catula misera subsistere non possem in tam

dejecto corpusculo: sed quas qualesve quandoque suscipiam, tam vili tamque indignæ caniculæ Christi dicere nequaquam interest. Solis enim timoratissimis atque secretioribus domesticis charismatum suorum donaria sobrie, quantum divina gloria vel fraterna caritas exigebat, revelare consuevit.

[56] Suspendebat autem interdum Dominus ubera consolationis, [quibus quandoque cessantibus,] quo Virgini nil gravius poterat infligi: adeo ut duplicari sibi flagella corporis maluisset, quam sic ab uberibus miserationis paternæ spiritu ablactari. Plane quoque spes quæ differtur affligit animam: qua de re tædio fatiscens, post omne consuetum exercitium in stimulationibus corporis, & Deo derelicta, pro deductione temporis fructuosa, quasi præsentem haberet, Angelum mentaliter alloquebatur: O frater, inquit, mihi nunc loquere, ne pigriteris nuntiare mihi de sponso meo super omnia dilecto, an forte in domum suam traducere me differat: [cum Angelo suo amantissime queritur,] qualis sit ejus apparatus thalami, mihi quæso nunc indica: quid agat, quid intendat, & quomodo se habeat, mihi quoque certius revelato. Nonne dilectus meus de me sciscitatur interdum & loquitur? O, quousque me in hac valle lacrymarum relinquit? Quid si sic? Quid faciam nescio: quid eligam ignoro: nam & jaculo dulcis sui amoris transfixit me, & præ incendio suæ flagrantissimæ dilectionis vulneravit me. En quia morior. Igitur, o frater Angele, nuntia dilecto, dicite sponso, quia amore languero: impatiens loquor, amore victa: & quomodo languore deficientem me non curat, sed affligit? qui tamen misericordiam in tristes quosque servare me docuit. Ego nullatenus, o mi frater, talia sibi responderem, si mei juris foret, ut sui ego sum. O si dilectum de sublimibus ad ima, veluti & ipse me de imis ad sublimia, trahere possem: profecto non quiescerem, proculdubio non dormirem, quin potius

traherem illum, quin complecterer brachiis, quin trajicerem in visceribus, quin cunirer intimis ejus.

[57] O sincere mi frater, o fidelissime paranymphe, festina, [cumque ad Sponsum ac Sanctos pro se allegat.] discurre, nuntia dilecto, dicito sponso ardorem cordis mei, desiderium animæ meæ, præcordia intimorum meorum. Unicum quæso ab eo defer responsum, verbum saltem unum, reportato: saluta eum in penetralibus cordis ejus, & dic ei, quia ad mortem fidelis ei persevero, ac quatenus præter ipsum intra hospitium cordis mei nullum amatorem admittam. Salutabis & mihi secundo summe colendam genetricem ejus Mariam: salutabis & meos omnes fratres & tuos, spiritus Angelicos, qui coram Deo meo ministrant: salutabis denique cætum Patriarcharum, chorum Apostolorum, exercitum Martyrum, agmina Confessorum, insuper & sorores meas in Domino sanctas Virgines, & reliquos Dei Sanctos omnes: & dicito eis, quatenus & ipsi pro me dignentur intercedere, quo & in earum collegio collega fieri merear; & ad choreas suas, soror quamvis parvula, citius admittar. Atque in hunc modum tempus deducebat; Si quando manna divinæ consolationis nimium famelica, certas ob causas Deo notas, ad votum non susciperet, quasi modo genita lac concupiscebat: quam ad solidam escam captandam Dominus coaptabat, ei tamquam parvulæ in Christo primo lac dandum erat, non esca: quamvis haud dubium spiritu, altero illorum numquam, ut pie creditur, caruerit.

## CAPUT VIII.

De responsione sibi ab Angelo in mentis thalamo data, nec non de, visitationibus realibus Angelorum sibi factis.

[58] Hæc cum apud se tranquilla mente sic formaret, ac tacito modo quasi legationis suæ nuntium redeuntem

aspiceret, [Angelus languentem animat,] reviviscens quodammodo responsum adjugebat: O, inquit, electa Domini mei sponsa, sponsus tuus ineffabili fervore dilectionis, vice reciproca te salutatur, & ne tædio vel pusillanimitate coruas, cordintime mandat & hortatur; quo sui reminiscaris: & quia tuum ob amorem ipse plus quam triginta annis humanarum ærumnarum particeps extitit, esuriendo videlicet & sitiendo, in fatigationibus, in laboribus, in vigiliis, [exemplo patientis Iesu,] in aperiis, in algore & æstu, in fuga & in persecutionibus, in contumeliis & blasphemis, in flagellis, in pressuris, in tormentis, in puncturis, in sudoribus & in effusionibus sanguinis, in tusionibus & extensionibus, in confussionibus & plagationibus manuum & pedum, in spineo diademate, in derisionibus, in sputis, in morte turpissima, in derelictione discipulorum, in derelictione paterna, in crucis protelatione simul & affixione, in pœnis ultra modum; vult ut memor ejus fias, sæpius saltem ad mentem reducas.

[59] [citamque ei consolationem promittit:] Ipse nihilominus cito veniet, indubitanter te feret in sublimi, in cubiculo genitricis suæ te conducet, in thalamo Patris te collocabit. O felix sponsa, utique Rex tuus veniet tibi, desideratus tuus apparebit tibi, sponsus tuus obviabit tibi. Ecce quia præcinxit se ut occurrat, ut medeatur & consoletur. Ipse ad manum præsto est ministrare tibi, cum universa curia cælesti, cum benedicta Matre sua, Virginibusque suis sacratissimis, cum Angelis & Patriarchis, cum Prophetis & Apostolis, cum Martyribus & Confessoribus, & supernæ Hierusalem habitatoribus cunctis. Amplius iis quid requiris? An forsitan adhuc fluctuas? an forsitan in expectatione confunderis? Aula ejus regalis ornata tapetiis: jam thalamus ejus collocatus est, cortinæ ejus appensæ, lectulus ejus floribus respersus, ostia ejus vallata liliis, fenestræ vero rosis repletæ, mensæ ejus sericis opertæ, deliciosæ quævis epulæ

præparatæ sunt, promptuaria ejus plena eructantia ex hoc in illud: vasa quidem pretiosa diversi generis, aurea simul & rutila: hortus ejus amœnus floribus, consitus arboribus: aromata vero fluunt undique. Hæc omnia, imo in infinitum plura atque majora, parata sunt, o soror. O quam ad introducendum te veniet lætus totus; & graciosus totus dicet: Veni nunc, dilecta mea; veni de Libano, amica mea; veni de Libano; veni coronaberis. Tunc Angeli coram te cantabunt laudem, jubilabunt coram te filii Dei, ministrabunt quoque dicentes, Comede nunc, soror nostra: bibe nunc, amica nostra: inebriare nunc, Domini Dei nostri sponsa carissima.

[60] [ita confortata:] His atque aliis internis elogiis divinitus docta, nec non a religiosissimis viris, quibus multo tempore Hollandia pollet, exhortata, animi sui tædium propellebat; excitans se ad patientiam, cordis sui affectum provocabat ad ignitam caritatis flammam; corporisque positi sub pressura torcularis excitabat torporem, ad sustinendum quodvis dominicæ castigationis flagrum. Unde post hæc dicebat: Eia nunc, anima mea, confide: quia venit salus tua, & sanitas tua quantocyus orietur. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: psallam tibi in gloria tua. Super lectulum igitur doloris sui talibus exercitationibus, dum dormitaret anima illius; quandoque præ tædio, cum Angelo sic loqui erat assuefacta; ut prærogativa quadam speciali etiam alloquium, [& familiaritate Angelorum dignata] consortium pariter & obsequium Angeli sui visibiliter haberet, Spiritus ipsos plurimos distinctim nominaret, & quorum hominum custodiæ divinitus deputati essent apertissime cognosceret. In specie pulcherrimorum juvenum sibi apparebant: Crucis splendiferæ signaculum in fronte ferebant, tanto fulgore rutilantes in facie, ut solis pulchritudinem claritatemque multo transcendere viderentur. Propter differentiam enim spirituum tenebrarum, qui se quandoque transferunt in Angelos



lucis, Lydwina nostra spiritus lucis Cruce signatos in frontibus affirmabat.

[61] [puritati conscientiae servandae intendit:] Retardabatur quandoque tali beneficio, sicut certis probatum est indiciis, propter adventantium hominum frequentiam: quapropter saepius, si quid pulveris ex mundanorum hominum colloquiis contraxisset, statim strudit confessione detergere, ne suavi sanctoque Angeli sui contubernio privaretur. Docebant spiritus illi hierarchici, quorum interest illuminare, quatenus ipsa sponsa suos defectus suamve miseriam agnosceret, agnoscendoque patefaceret; ne scilicet quo saepissime fruebatur solamine, sua culpa exigente, careret; & ne animae, pro quibus patiebatur, suo relevamine frustrarentur. Nempe propter animarum expiationem, ut apertius suo loco dicam, ultronea miranda patiebatur. Proinde solita erat, juxta sanctae Matris Ecclesiae morem, die statuto Cinerum, Cineres de manu alicujus Sacerdotis accipere: & dum Sacerdos venire tardaret, Angelus minister salutis, in talibus vices suas in Virgine supplebat. Sane cum semel Confessor ejus dictus D. Joannes Walteri, vir bonus, venisset ad eam, quaerens an Cineribus sacris signari vellet; protinus respondit: Gratias Deo modo totis praecordiis ago, [allatis ab Angelo Cineribus aspersa,] Pater: qui per Angelum suum Cineribus suis me signare praevenit. Stupente illo & admirante quis sermo hic esset; adjecit illa; Extende, Pater, manum tuam & experimento disce, an ita sit. Quod & fecit: unde non modo signatam manu tetigit; sed quo aptius scivit, abstersis cineribus, frontem suam eisdem communivit. Docuerat etiam eam Angelus reverenter ab Ecclesiasticis Cineres sacros sumere, atque ad hoc idem faciendum amicos Dei fideliter invitare. a Doctrina namque Angeli, ut dixit, haec erat; [modum eos pie suscipiendi docet:] ut Christi fidelis quisque Cineres accepturus, candelam ceream accensam, imposito denario crucem habente, humiliter

gereret: non quod de necessitate, sed congruitate id requireretur; ut & fides exprimeretur in lumine, caritas in ardore, & mortificatio carnis significaretur in numismatis cruce.

[62] Aliud quoque mirabile valde narro de Virgine nostra: habebat enim Virgo ipsa virgulam quamdam de stipula canopi, aptam æstus tempore aut febrium ad trahendam vel pellendam cortinulam, [Cannabinum virgam, incendio deperditam,] quæ stratui ejus appendicia fuit. Eo etiam tempore grave fuerat in urbecula illa incendium, adeo ut ex pietate impotentem Virginem eripere de voragine flammaram plurimi vicinorum convenirent: illa vero sciens quæ ventura erant, & quomodo Dominus proposuerat conservare vitam suam, confidens prohibuit vicinis apponere manus tuguriolo ejus: sed non obtinuit. Nam cæperunt irrumpere vicini cellulæ Virginis asseres. Nihilominus rogati ut desisterent, pro asseribus primis pannos appendebant, eo quod lumen solis ferre non posset. Cumque per moram sine dictis asseribus jacuisset, mox sanguinem effundere cæperunt oculi ejus: ob quod & illico ligna pristina apposita fuerunt. Perditur interea stipula, supervenit horribilium, quam superius tetigi, [in magna anxietate non inveniendi,] febrium rabies, concurrat solstitii æstivalis calor excessivus: quibus omnibus tamquam in clibano Virgo decoquitur, & post discessum paroxysmi febrilis, quasi de longe ad se reversa, solam se fore ab omnibus derelictam, tempore nocturnali, proh dolor! experitur. Tandem cum præ suffocatione conclusi fervoris intrinsecus non esset ei respiraculum aut halitus, manum more solito ad virgam mittere putans, non invenit. Flevit igitur Virgo febribus fatigata, quia non erat respirandi facultas: flevit, quia non reperit virgam, quam cupivit: flevit, quia non esset homo, qui destitutam adjuvare posset.

[63] Sed quod non valuit absens homo, effecit præsens statim Angelus ejus: [lignum aliud afferi Angelus:] & ecce detulit ei Angelus informe quoddam frustum ligni, quod transversaliter super corpus positum seu relictum invenit. At illa lignum asperum atque grossum perspiciens, protinus admiratur, eo quod pro tractabili stipula & levi, tale quid informe supra se invenerit. Noctem igitur ut potuit, cooperante illo qui fecit medium fornacis ardentis quasi ventum roris flantem, patienter transegit. Mane facto statim petit Confessorem suum, Dominum videlicet Joannem Walteri, quo absque alio rumore simpliciter uti consuevit. Tandem rogat, ut de tali ligno per manum artificis alicujus virgam tractabilem & levem coaptari faceret, [cujus fragrantia inter dolandum comperta,] nihil ei dicens quis attulerit, unde venerit: sed tantum ut instrumentum ad depellendam cortinulam suam exinde fiat constanter exoptat. Exiit ergo voluntarius Pater ut quærat artificem: sed cum in flammis incendii omnium carpentariorum aut artificum periissent aptiora instrumenta, vix materiale quoddam dolabrum grossum potuit invenere; invenit tamen unum, quo & lævigare lignum cœperunt. Mirum dictu! spirabat lævigatum lignum odorem mirabilem, cujusmodi antea numquam sensisse dixerunt qui aderant: speciem tamen ligni non cognoverunt. Rapiunt exinde scissas & raras undique partes, fitque pia lis inter artificem & Sacerdotem Joannem, ut quisque plus retineat. Non erat minima particula ligni, quam præ suavitate odoris auro fulvo non compararent.

[64] Currit Sacerdos relicto primo ad secundum fabrum lignorum, rapinam detestans: sed ut prius ita & posterius fit quæstio, [diripiuntur assulæ,] quis tulerit & unde venerit, & multa similia. Diripiuntur pia rapina abrasi ligni particulæ, virgulaque ad quantitatem gracilis ulnæ formatur. Rediens autem Confessor attulit secum virgulam lævigatam uti poposcerat Christi Virgo, quam & sibi

tradidit in manibus, & unde venerit prædictum lignum inquisivit. Cui Virgo respondit: Dominus noverit, Pater mi, ego nescio. Ignorabat enim donec per Angelum suum postea in paradisum terrestrem transvecta, ab eodem didicit, [ipsa virgo illud e paradiso allatum,] quod ab anteriore porta paradisi abruptisset illud. Ecce, inquit Angelus ejus, quia de porta hac abrupti lignum quod attuli tibi: super quo tantum admirabar, eo quod informe foret ac grossum, quandoque lævigari procurasti: cujus tamen præsentiam, tamquam flagellum & supplicium, dæmones tempore suo formidabunt. Quod ut audivi, & ipsemet expertus sum corporalibus oculis, in obsessis hominibus comprobatum est. Nam vidi oculis meis dæmonium habentes, clamore pariter & stridore valido contremiscere, dum dicti ligni portiuncula præsentabatur. Postquam autem Angelo revelante, [& dæmoni futurum formidabile discit,] Lydwina Christi vernacula virtutem ligni cognovit, indoluit, eo quod minus appretiata fuerit donum Dei, quod sibi sic allatum fuerat; atque quia minorari procurarat, quod tanto mysterio futuris temporibus, pro refrænandis malignis spiritibus, servari decebat. Mox, ex tunc volante rumore per vicos, ligni virtus & redolentia celari non poterat: sed confluxere nonnulli, videndi, tangendi, & odorandi gratia: inter quos vir quidam lubricus importune se tacturum ingessit, & ex tunc solitam fragrantiam pro magna parte, ut fertur, non sine multorum stupore protinus amisit.

[65] Praeterea cum de visitatione Angelica sermonem habuerimus, quantam ex præsentia bonorum spirituum delectationem & refectionem habuerit balbutiendo disseramus. Contigit quamdam venerabilem viduam pulsare Virginis aures, [impetrat familiari suæ] ut saltem, si possibile foret, venientem Angelum suum in specie assumpta, veluti sibi apparere consueverat, videre mereretur. At illa: Orabo Dominum quatenus, possibile si fuerit, fiat. Orans igitur Lydwina Dominum, obtinuit quod

poposcit. Ait viduæ Virgo: Clauso [ostio] siste paulisper, & juxta devotiunculam tuam videbis quem desiderat anima tua. Parum illa penes Christi sponsam quieverat: & ecce Angelus in specie adolescentuli pulcherrimi advenit, cujus facies ineffabilem candorem, vestes vero nitorem nivium praetendebant. Oculi micantes in capite velut astra radiantia coruscabant: [ut illa quoque Angelum videat:] caput vero pileum mirandi decoris habere videbatur. Replebatur cor viduæ jubilo, adeo ut quid diceret aut quid cogitaret ultra non haberet, prorsus absorpta. Videbat quasi innumerabiles manus juxta Virginem, instar pauperum eleemosynas petentium, faciem autem nullam videbat. Dixit igitur ad Angelum Lydwina: Ne spreveris, frater mi Angele, sororem meam, sed oculos quæso lucifluos in eam converte. Quod & fecit tam jucundo tamque suavi modo spiritus ille sacer, quod non modo vidua illa mentis exultationem inde sumeret, verum etiam pro cordis incendio a lacrymosis gemitibus, cum detestatione corporalium ciborum, se continere per tempus non valeret. Dicebat autem familiaribus quandoque Virgo: [quantum aspectu ejus recrearetur indicat,] Non, inquit, sub sole est pœna, non dolor, non molestia, non cordis angustia, non tristitia quævis mihi nota: quæ, si solita pietate Domini vultum Angelicum mihi contemplari concedatur, quasi stilla roris absumitur a solis præsentia, ita suo in aspectu non absorbeatur. Penset unusquisque qualis sit ipse fons vitæ apud se & electos suos in patria, si ii qui ministrant ei tanta gloria, propter jugem ipsius visionem, adeo mortalem delectant creaturam.

[66] [& quomodo ab eo duci soleret in raptu:] Ceterum si quando eam erat ducturus, in spiritu vel extra spiritum nescio, Deus scit, Angelus ejus hunc communiter modum cum ea servabat. Apprehendebat enim manum ejus, & usque ad Virginis Mariæ sæpe dictam imaginem, stantem in ecclesia Baptistæ Salvatoris, quasi licentiandam ab

eadem, perducebat: qua salutata, mox versus orientem, ad Regionem quamdam amœnissimam floridissimamque, visibus humanis inaccessibilem, ubi liliorum quasi vernantium, rosarum & florum aromaticorum ceterorumque delectabilium & virentium, tanta videbatur ubertas & fragrantia, ut ibi nullus stridor Aquilonis gelu causare, aut ardor Austri quidpiam urere putaretur. In omnibus autem vera sanctæ obedientiæ filia studebat Angelo ductori suo parere. Illo quidem præcedente ibat, illo stante stabat, illo redeunte redibat. Erat interdum hujuscemodi florum & virentium arbustorum celsitudo & densitas tanta, ita ut sibi videbatur quod penetrare non posset: sed ab Angelo suo instar Abacuc ferebatur in eum, quem petebat locum. O delectabile consortium! o gloriosum Virginis cum Angelo colloquium! Angelis enim cognata est virginitas.

[67] Orationem autem consuevit ad eum dirigere qua dicebat: Dilecte frater & Angele Dei, [oratio ejus ad suum Angelum,] ob cordialem quam in te gero fiduciam, humiliter & obnixe te deprecor, ob reverentiam Domini nostri Jesu Christi, quatenus in conspectu Sponsi mei pro me intercedere digneris, ut remittat mihi universa delicta mea, & me in omni bono opere confirmet; vitam emendare concedat, atque ad salutem perducatur; ubi suo jucundo gaudeam aspectu, suo inebrier gustu, vita perfruar sempiterna. Ad hos igitur Angelos, Dei ministros, venerandos, inducebat familiares, [& exhortatio ad cultum beatorum Spirituum.] tamquam eos qui die noctuque circa nos invigilant, quamquam sint natura excellentiores, intelligentia perspicaciores, facultate liberiores, contemplatione tenaciores; attamen in multis nobis familiares, spiritus administratorii, ut adsint, præsent & prosint, iis præsertim qui redempti sunt pretioso sanguine Jesu Christi. Hæc & alia multa inculcabat Virgo Deo devota, suadens prudenter ambulare in conspectu eorum, de quibus scriptum est, Qui

facit Angelos suos spiritus & ministros suos ignem urentem. [Ps. 103, 4.]

## PARS SECUNDA

De Virginis Lydwinae virtuoso profectu.

### CAPUT I.

De profectu Virginis in virtutibus quibusdam generaliter tangendis.

[68] Sane dum Christi famula velut aurum in fornace probaretur, velut hortus irriguus flante Austro germinare flores virtutum non destitit, aliisque ad serendum semina exemplorum copiosa monstravit. Et quandoquidem caritas incipit a seipsa, posuit in fundamento lapidem angularem timorem Domini, in timore voluntatem bonam, in bona voluntate dijudicationē sui, in dijudicatione humilitatem, in humilitate patientiam, in patientia taciturnitatem, in taciturnitate obedientiam, in obedientia sanctam paupertatem, in paupertate sobrietatem, in sobrietate mentis & corporis puritatem. A timore Domini, Domino præparatura perpetuum habitaculum, dilecta Christi sponsa, sicut dictum est, [In timore Domini fundata,] cœpit domum mentis ædificare, sciens quod si quis in timore Domini steterit, de difficili subvertitur domus ejus. Hoc enim in extremis angustiis quasi ad manum semper extitit verbum, quod diceret: O bone Domine Jesu Christe, miserere mei. Sane timoratae hujuscemodi oratiunculæ jaculum gerebat semper in vocis oraculo: quoniam timere Deum finaliter & amare secum ab infantia creverat in corde.

[69] Quam bonæ fuerit voluntatis arbor, fructus indicat: quia omnis arbor bona fructus bonos facit. Suam quidem

in Domino ita fixit voluntatem, tamquam radicem ex qua originaliter ceteræ gratuitæ virtutes simul & morales prodeunt: [huic bonam superstruit voluntatem,] ut nihil cogitare, dicere, vel facere præmeditate liberet, quod divinæ putaret volitioni displicere. Unde verbum hoc, cum patientissimo Job & B. Francisco, bonæ voluntatis alumna sæpius dixisse virtualiter fertur: Hoc mihi, Domine, acceptissimum erit, ut affligens me dolore non parcas: cum tuæ voluntatis adimpletio sit mihi consolatio superplena. [Iob 6, 10.] Circa discussionem sui invigilabat attentius, [suique discussioni invigilat:] quæ semper propter minutissima quæque sistebat quorumlibet iudicio; tum Dei, cujus flagellatione dignam se profitebatur; tum Angelorum, quorum in præsentia plures culpas suas deflendo lamentabatur; tum seniorum hominum, in quorum discretioni se sacramentaliter spiritualiterque committebat; tum etiam inferiorum, quorum conspectu atque comparatione se vilissimam omnium reputabat. Erat enim ei sæpe in animo quod ait sanctus noster Citharædus, Quoniam, inquit, iniquitatem meam [Col. 0320B] ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper, [Psal. 50, 5.] & rursum: Quoniam ego in flagella parata sum, & dolor meus in conspectu meo est semper. [Psal. 37, 18.]

[70] Omnibus ex hoc se subdere per humilitatis collatam sibi gratiam non horruit, [humilitate excellens] quoniam & vilem se affectuose reputabat, sic quod se ab omnibus vilem credi, æstimari, dici atque diffamari etiam non refugit. Sicut & in familiaribus domus paternæ sæpius compertum est. Erat enim frontosa quædam mulier, fratris sui uxor, procax & garrula valde; quæ tanta clamositate Virginem, permittente Deo, vexabat, ut alteram uxorem Job crederes: nemini quantumcumque præcellenti aut patienti parcens: cujus ex labiis raro non nisi mordacia verba procedebant. Contigit autem Joannem de Bavaria Ducem, quadam vice sub habitu dissimulato Virginem



Christi clanculo visitare: [fratriæ clamores] cumque clamorosa femina garritus sui relaxaret habenas, ignorans quoniam tantus Princeps cum Lydwina de secretis animæ suæ conferret; tandem commotus Princeps ex importunitate tam molestæ garrulatricis, ait: Et quomodo, inquit, o Virgo, talem hirundinem in domo tua vales sustinere, quæ sine fræno totam domum conturbat? Quæ respondit: Æquo animo, Domine mi, sunt fragilitates & imperfectiones talium tolerandæ, vel ut exemplo alienæ patientiæ corrigantur, [& aliorum imperfectiones dissimulat.] vel ut sint exercitio virtutis iis quos talibus indigere novit Altissimus, aut saltem ne furori talium magis debacchandi atque turbandi detur occasio. Ex quibus verbis non mediocriter vir ille magnus ædificatus, de bursa sua extractam loquaci mulieri dedit pecuniam. Qua recepta parumper refrænata est lubrica lingua ejus, sed an ex toto mitigata est non affirmo.

[71] Patientia siquidem ex iis radicaliter pullulans adeo Virginem nostram suis loris adstrinxerat, [convitia illata sustinet patienter,] ut ex iis quæ dicta sunt non solum virgo, sed virago; non Lydwina, sed S. Patientia merito debeat appellari. Venit tempore quodam mulier quædam, ut timendum est, de filiabus Belial, fremens & furens; quæ innumeris B. Lydwinam cœpit lacessere convitiis, injuriis, contumeliis, & exprobrationibus: quæ acsi nil aliud in corpore quam cor fellitum & venenum aspidum sub labiis possideret, & studiose pauperulam martyrem Lydwinam ad iracundiam provocare transmissa veniret; cum se minime verbis calumniosis & venenosis profecisse nosset, cœpit execralibus sputis faciem venerandam deturpare. Sed nec iis Virginem permotam videns, cœpit tandem clamoribus & maledictis, quasi vim passa foret, vicinos concitare. [sputis ingestis] Virgo vero patiens furente potentior, animam suam, in omnibus his nec paulisper mota, in patientia possidebat, ita ut mirarentur universi. Nec moram passa felix nostra Lydwina, benedictum pro

maledicto reddidit, officium pro convitio, gratiam pro contumelia, caritatem pro calumnia, salutem pro mortifero, beneficentiam pro sputorum illitione, protinus, eodem videlicet vespere, eidem mulierculæ refudit. Misit autem illi per internuntios clam benedictionem cum munere, sic congerens carbones super caput ejus, [beneficium reponit.] dicens: Nonne ipsis me beneficam impendere teneor, qui mihi caritatis viam dilatare non cessant, qua me distendendo merear? Illis debitricem me sentio, procuratricem confiteor, qui viam mandatorum Domini (quorum plenitudo dilectio est) currere me compellunt.

[72] [inediam ejus fictam reputantibus,] Quid plura? Nemo tam auri pretiosi vel mundanæ gloriæ cupidus, quantum illa contemptus & despectionis: sciebat enim quoniam patientia opus perfectum habet. Quædam quoque de meribibulis mulierculis venientes ad eam, dicebant: Non est in conscientiis nostris quod credere possimus tibi, mulier, quod absque cibo corporali vita comite transire possis: qua ex re suspicamur de te hypocrisim & illusionem. Quibus illa patiens patienter ait: Neque per hoc, sorores meæ, si non creditis, incredule, estis: discredere tamen nolite, quod operatus sit Deus. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Nonne pie creditis, quod in deserto paverit utramque Mariam, [modestissime respondet:] Magdalenam scilicet & Ægyptiacam? De me, si non creditis, parva cura est; eo salvo quod credatis quod operatus sit Dominus. Cur enim in conspectu mortalium, manducantem me negare velim, aut non manducantem affirmare? quippe cum manducare nequaquam vituperium sit; & non manducare, quantum ex parte ipsius hominis est, gloriæ nihil habeat: & quidquid loquuntur homines, gratiam, quam in me operatur Dominus, omnino negare non possum. Tacere quidem possem, si desistendo ab inquisitione tacuerint homines.

[73] [sermo ejus rarus, modestus, gravis.] De taciturnitate ipsius quidem sermo si exigatur, præsto sum. Vox ejus, ut communiter, audiebatur dulcis & sonora: non dono ægritudinis, sed solius ut credo gratiæ. Unam diem de tribus aut quatuor, ut communius, quæ ad pacem sibi post febres importunas sibi a Domino relinquebatur, ad consolationem Christi fidelium in loquendo fructuosius expendebat. Nemo cachinnantem eam vidit, ridere vix umquam ex levitate percepit; serio tamen lætabunda, juxta congruentiam materiæ collocutoriæ, nec non & personarum, sæpissime visa est. Juxta doctrinam Sapientis, tempus loquendi & tempus tacendi solerter observans, in maturitate verborum & sensus gravitate, metam non excedebat. [Ecle. 3, 7.] Bonum, ut dicebat, est colloquium, quod bonum silentium excellere debet. Quapropter detractorum omnium horrebat colloquium, sciens quia hoc genus sanguine pascatur & dolo: & quoniam sepulcrum patens est guttur eorum, qui linguis suis saniem lingunt, etiammet defunctorum.

[74] [obedientiam amans ipsa,] Obedientiæ suæ laudes describere non reor, nisi fortem illam, quam hominibus propter Deum servabat, in qua se illis tamquam mortuum quoddam cadaver & vermiculum quemdam, qui pedibus calcatur, cordialiter mancipavit. De obedientia, quam exhibuit fratri suo Angelo, nihil scripserim, præter id quod lectum est: ad cujus tamen minimum pavebat nutum, insuper & tremebat. [eam commendat Religiosis:] Illam tamen sanctam, quam Religiosi suam per professionem devovent, obedientiam, vivacissimis suadelis commendabat illis, dicens: Dilecti fratres mei, cum omni mansuetudine studeatis sanctæ obedientiæ observare jugum: quoniam maximi præmii obedientia est, quam vobis Dominus suo exemplo, tamquam coheredibus hereditariam reliquit, factus obediens usque ad mortem crucis.

[75] Contigit quemdam Religiosum Ordinis Cisterciensis eligi ad onus Prælatoræ: ad cuius executionem difficilem se reddidit; & si quo modo curam animarum, sibi canonicè superpositam, ex caritate declinare posset, Virginem consultum advenit. Et quia verebatur agnosci, quasi de alio loquens exorsus est in hunc modum. [nec probat quietis studio] Noveris, inquit, carissima Soror, quemdam ex nostris electum ad officium Prælatoræ, ad quod, cum sibi videat plurima pericula imminere, difficilem & involuntarium se reddidit; sentiens quia minus apte posset explere, quæ ad hujusmodi officium merito requiruntur. Cui Lydwina mox respondit: Optime Pater, timeo ne subterfugia Fratris illius frivola sint & nulla: nam sub potestate constitutus est monachus: honorem fugere potest; onus tamen, si vires ei suppetant, abnuere non debet. Formidandum denique est illi, ne fugiens periculum minus, incidat in majus. Quasi dicere vellet,

*Incidet in Scyllam cupiens vitare Charibdim.*

Etenim propter obedientiam, animæ levius esse sperabat in Prælatora, [recusari onera Prælatoræ,] non procurata sed imposita, quam deposito jugo militare sub propria voluntate. Quid ad hæc? Contemnit Monachus consilium Virginis, onus abjicit, Prælatoram pro libertate declinat: sed juxta oraculum Virginis, quod minus verebatur, id accidit. Nempe (ut audiverunt aliqui ex ore ejus) tantos tribulationum anfractus incurrit vir ille religiosus, juxta verbum femine Dei; quod mallet incomparabiliter periculum oneris cum honore subiisse cum humilitate, quam periculosissimi otii sectatus fuisse dispendium ac mentis evagationem.

[76] [vel locum aliquo prætextu mutari:] Hæc itaque salubris doctrina nedum religiosis onagrnam libertatem sectantibus, sed & quibuslibet devotis necessaria est, suadente Virgine ipsa cunctis atque dicente: Qui lucrum

animæ suæ petit, & non damnum, stabilis stabilem figat locum; ibique in abdito, cordis sui secretarium nactus, sibi construat inclusorium; & absque dubio in brevi, sibi Dominum sentiet fieri placatum. Summe hoc genus hominum execrabatur, qui pro lubitu suæ volubilitatis dant commotioni pedes suos: Non, inquit, sanctificat locus, quantumcumque mutetur: quia quorsum se gyraverit homo, semper secum portat semetipsum. Secularibus autem verbum istud de obedientia solitum erat: [Secularibus suadet ut confessario pareant.] Quisquis optat ut in eo spiritus Dei operetur, sanctæ matri Ecclesiæ obediens sit, ac in ea suo Confessori, a quo magna salus illi dependet, tamquam a vicario Jesu Christi: Nam sic faciens requiem inveniet, nequaquam aliter.

[77] Paupertatis etiam rerum & pauperum zelatrix erat præcipua, quod ita fore attestantur tugurium, stratus, [Paupertate spiritus excellens,] & rerum penuria: sed paupertatem spiritus insuper commendant in ea contemptus laudis, & sui ipsius abnegatio viscerosa. Si quando quæreretur ab ea tempore necessitatis, an scilicet abundaret; respondebat, Abundo satis. Cum tamen ex hoc a mulierculis argueretur, quibus innotuit penuria ejus; humilis Christi famula dicebat: Satis abundat, qui in eo quod habet contentatur. Quamvis enim mihi, ait, cum hominibus non sunt communes divitiæ & deliciæ, sunt nihilominus mihi pauperies & miseriæ cum iis communes; aque iis abundans, Deo gratias agens, conquiesco. Oppidanus quidam e Flandria veniens, vidensque abjectam domumculam patris Lydwinae, obtulit ei adhuc viventi de divitiis suis construere domum solemnem, in qua magis honeste quiescere posset, si vellet: [recusat domum honestiorem:] cui paupercula respondit: Mihi vita comite, dilecte frater, domum ampliorem non construes: sed si quis in loco isto, pro hospitandis pauperibus, post decessum meum domum

**extruxerit, oro cælestem Dominum ut eleemosyna in sinum suum vacua non redeat. Quod etiam duce Deo, per bonæ memoriæ supradicti magistri Godefridi Sonderdanck filium ac medicum nomine Wilhelmum, post obitum Virginis, cernimus esse completum.**

**[78] [rigore vitæ] Parcimoniam non nisi prioris ætatis in Virgine commendare, minus necesse duxerim; cumque tugurium illi fuerit palatium; stratus stramineus aut ligneus, lectus eburneus; cingulum cilicinum, balteus regius; ulcera putrentia, pretiosa monilia; horridæ plagæ, optata solatia; multæ lacrymæ, novæ deliciae; tribulatio mundana, consolatio mira; vermes scatentes, sociales convivæ; dolores & angustiae corporis, velut epulæ lautæ. Suadebat quippe corporalem abstinentiam, ita tamen ut lima rationis & sale condiretur; sciens quoniam corporalis exercitatio, sine comite tali, periculum facit, insuper ad discrimina ruinosa quæque disponit.**

**[79] [& candore pudicitiae summa fuit.] Castitas virginalis ceteras inter virtutes tantum illi dabat insigne, ut excellentia quadam vulgo Virgo nominetur usque in præsentem diem, quamvis defuncta. Veniebant nonnulli flammiferis ignibus interdum vexati libidinis, quos lamentabiliter ob hanc miseriam lacrymantes, purissima suis consiliis, precibus ac pœnis de faucibus voraginis eductos, ad munditiam tam mentis quam corporis reducebat. Exigente porro necessitate corporalis molestiæ, matronis honestis corpusculum contrectandum exhibuit: super nudo tamen tangi vix ab honestissimis unquam permisit. Optimum sciebat antemurale virginitati fore pudorem, & firmum repagulum esse castitati a nemine tangi: quamquam inter virgines velut astrum matutinum refulgeret & velut in latebris lumen, abscondita crucifera facie vis quibuslibet non pateret. Vere igitur pulchri sunt gressus Virginis hujus, tamquam filiae Principis, quæ velut castrorum acies intrinsecus his**

virtutibus ordinata, in medio juvenularum tympanistriarum graditur, innixa super formosum Dilectum.

## CAPUT II.

De quibusdam operibus misericordiæ ac de suppletionem defectuum & spiritualibus refectionibus ejus.

[80] Sanæ mentis Virgo, cum nullo pastu cibi corruptibilis indigeret, [Erga pauperes liberalissima] ob devotionem tamen quorundam, qui Deum in ea venerabantur, eleemosynas, pro suis & aliorum necessitatibus distribuendas, quandoque retinebat; sibi parcissima semper pro his quibus foris indigebat, aliorum pauperum se matrem fieri cordialiter studuit. Nulli negabat manum, quamdiu superesset quadrans aut obulus: & quibus non poterat extendere manum, compassivum præbebat animum, blandumque offerebat de thesauro pii cordis verbum; cibosque coctos, interdum crudos, trans mittebat. Si quando præ incuria per internuntias circa deportanda quæque neglectum aliquid esset, patiens dicebat: Quod meum est, feci; quod bonum est, ipsi decernite: [optat eis destinatas eleemosynas prompte dari;] sed utinam primo ex desiderio meo, quemadmodum suasi vobis, fecissetis. Hoc autem dicebat, quoniam de paupere tantum illi cura fuit: quia eis, quasi de Regibus & Principibus Christi in regna cælorum futuris, vel ad horulam, consuetam annonam distrahi aut retardari non vellet. Noverat siquidem ex nomine pauperes & habitatiunculas eorum, ut quamvis jaceret in latebris, omnia tamen videret; omnia distincte & sensibiliter solita percipere, ut quasi cum hominibus conversari crederetur.

[81] Pro iis quoque salire carnes in hieme jubebat: salitas decoqui cum leguminibus, [annona divinitus pro eisdem multiplicata] utpote pisis, procurabat: coctas Christi

pauperibus cum benedictione mittebat. Unde factum est quadam vice, ut portio quartæ partis vaccæ, cum quibusdam vicinis, ad pascendos pauperes in sortem ei cederet: de qua cum ministræ illius coxissent cum pisis certam quantitatem, & ad saturitatem triginta domos recreassent; affuit qui diceret, [modeste lætatur:] Lydwina, juxta imperium tuum, triginta pauperum domos de carnibus & pisis tuis ad satietatem providimus; sed nec olla adhuc videtur minuta. Ad quæ statim respondit: Non meis meritis, sed sua bonitate id fecit Deus. Nonne promisit Dominus, Date & dabitur vobis? [Luc. 6, 38] Nempe, mirum dictu! manducaverunt de his carnibus domestici, simul manducaverunt venientes peregrini; & cunctis præ admiratione concussis, manum Domini adesse protestantur, qui farina pauperulæ viduæ quondam repleverat hydriam, oleumque non deficere dedit in lecytho. Non verebantur divites quandoque de buccellulis jacentis nostræ Virginis petere, & hoc quidem pro devotione: nec illa differebat omni pro amore Dei petenti tribuere: [cuivis petenti largitur ut potest,] quinimo quidquid sic in nomine Domini mittebat de eleemosynis, pennis sanctæ orationis, quibus magis redolerent coram Altissimo, sedula præmuniebat. Oratio enim, eleemosynæ pius comes est, & in refectioe viscerum optimum est, corda filiorum Christi gratia stabilire.

[82] Illos quoque maxime pauperes pascere simul & potare secreto modo studuit, [solicita tamen maxime pro clam egenis.] quos de mundana felicitate prolapsos ad miseriam noverat, quosque præ pudore non audentes mendicare cognovit. Clanculo, ne proderetur eorum inopia, victus necessaria mittebat, mendicans & ipsa, si quando carnes pro pauperibus deficerent. Unde quodam tempore vinum devotum poposcit, quatenus pro reficiendis visceribus pauperum quorundam, armum porci, si haberet, coctum destinaret: [pro perna his divisa



restituatur alia:] quod & vir fecit: sed mox, quam grata sit Deo manus ad dandum porrecta, protinus emicuit. Vir iste (ut ipsemet confessus est paulo post) in eum locum, unde unicum & solum armum acceperat, oculos attollens; statim alium, multo majorem, pendere in eodem loco vidit: quapropter familiam suam diligentius interrogans, an quis illorum illuc tale quid carnum attulisset & dicentibus illis quod non; de manu Domini allatum esse, sicut factum opus erat, ratus est. Fit non immerito vir Virgini devotior, fit pauperibus & ipse ad dandum paratior, fit crescente pietate pauperum amicus Deo conjunctior.

[83] Tempore vero, de quo superius commemoratum est, [Epilepticæ sitienti] videlicet quo modicissimo vino vel aqua ante adventum hydropisis utebatur; contigit novum quoddam, non tam mirabile quam miserabile & imirabile, quod dicere propono. Mulier quædam epileptico morbo laborabat, quæ ob horrorem casus gravis erat ad videndum, gravior autem ad hospitandum, gravissima autem ad convivendum: quæ, tamquam abortivum contemptibilis & contempta, sæpe corruerat in plateis. Hæc igitur in angustia spiritus tugurium Virginis eleemosynariæ statim cum intrasset, potum sibi dari poposcit. Cumque de modico vino, quod supererat, Virgo minime cogitaret, cum sola tunc esset, aquam ægrotanti bibendam monstravit, quæ illic reposita in quodam vasculo continebatur. Bibit ergo & ebibit sitibunda totum quod invenit: sed quid hæc inter tantas angustias æstuanti? Ardet & exardet languida: [datum vini modicum] instat ut amplius accipiat. Venit igitur tunc in mentem ancillæ Dei, quod modicum vini superesset, quod & digito mox indicavit eidem ut biberet: ebibit rursum & aliud modicum quod invenit. Addidit petere tertium mulier epileptica; non habensque liquorem protulit Virgo denarium, dicens ei: Vade nunc, filia, cum isto denario emere tibi & quantum tibi necessarium est bibe; vasculum autem quod evacuasti loco suo repone. Reponit vasculum,

**gavisa de denario, sitibunda nimis muliercula; & confestim, juxta verbum sibi datum, ut extinguat sitim tabernam petit.**

**[84] Tempore vero febrium superveniente, instat Virgo apud patrem suum, qui tunc adhuc vivebat, [pleno vasculo redditum invenitur,] quod porrigeret illi modicum vini, tantum ut labia tingantur, quæ sicca erant vehementer: non enim recordabatur ea hora quoniam epileptica totum ebibisset. Porrexit igitur pater filiæ vasculum: sed quod propter Deum evacuatum fuit, caelitus a Deo impletum vino optimo mox invenitur. Mirabile valde! stupet Virgo, memor pietatis exhibitæ mulieri: vinum naturalissimum, quo nullum præstantius biberat, mox degustat: quod quidem suum colorem rubeum & saporem optimum numquam perdens, patri stuporem ingerit. Nihilominus Virgo secreti sui conscia, unde venerit, nullatenus pro tunc indicavit. [ipsoque indeficiente diu utitur Lydwina.] Tandem cum multo tempore vinum illud de vasculo non deficeret, incuria mulieris cujusdam effusum est. Doluit Christi famula, cum tempore illo adhuc, quamvis tenuissime, uteretur vino: doluit autem magis, quia nemo hominum sibi unquam convenientius vinum attulit: quia sine aqua commixta cetera vina numquam bibere potuisset; hoc solum purum & impermixtum bibebat. Qua ex re patuit quam misericors ad pauperes Christi nostra virago extiterit, quæ feminam epilepticam de vasculo suo bibere jussit: ob quod haud dubio de cellario præpotentis Dei vinum electum accepit.**

**[85] [exsolutis mortui fratris debitis,] Ad hæc quidem diffusæ pietatis opera multiplicanda, copiosa donorum Dei affluentia provocari protinus videbatur. Accidit semel ut fratre suo Wilhelmo migrante e seculo, filii ejus, debitis innumeris obligati, ad extremas miserias deducerentur, quæ nullatenus humano modo refundere poterant. Cumque non tam sanguinis propinquitate quam spiritus**

caritate, pro relevandis miseris desperantium filiorum, clenodia quædam vendi fecisset; venditorumque pretium sub certo denariorum numero similiter congregasset, permutatis ex eis aliquibus ut unius essent usitatoris numismatis, omnes in unam bursam reposuit. Jussit igitur singulis creditoribus, per Nicolaum consanguineum suum, satisfieri usque ad quadrantem novissimum; & his factis, siquid de bursa superesset, fideliter sibi reportari. Quid plura? satisfactum est ex octo libris monetæ regionis illius singulis creditoribus, [integre manent libræ octo, prius in bursa positæ,] juxta Virginis optatum: numerantur ex bursa denarii qui reliqui fuerant; sed cum trina vice renumerando jussu Virginis, singuli denarii in bursa in sua præsentia digito distincte revoluerentur; tot libræ totve denarii ab ipso Nicolao reperti sunt, quot primo manu Virginis summatim positi fuerant. Quod cum tertio, sic ea volente, contigisset; indicto silentio cunctis qui aderant ne forte cui dicerent quod viderant, de cetero bursam ipsam cum denariis bursam Jesu censuit appellandam. Expendebat illa postmodum de bursa pauperibus Christi magnifice, & ipse Dominus abundanter infundebat.. Et cum numerari dictum æs, post ejusmodi expensas sic factas contingeret, perceptibiliter incrementum supplementumve divinæ largitatis innotescebat.

[86] [ex eademque ultra 40 libras promuntur.] Quærebant aliquando sibi cordialiores, quantum post obitum fratris sui Wilhelmi de marsupio Domini Jesu distribuisset: quibus ait: Ex quo gloriam Domini vos in hac re latere non video, dico vobis veraciter; quod de octo libris ultra libras quadraginta in pios pauperum usus expendi, præter eas quas pro debitis fratris mei creditoribus suis reddi feci. Sex annis ante obitum Virginis multifariam multisque necessitatum modis, in pios egenorum usus, dicta pecunia distributa & iterum a Domino multiplicata est, & post transitum Virginis pars media ejusdem speciei monetæ & figuræ in eadem bursa Jesu reperta. Similiter de aureis

denariis positis, coram tribus fide dignis contigit illi, quod tertio renumerati, non sine stupore assistentium visibiliter adaucti sunt. Duo igitur minuta, corporis videlicet & animæ, Virgo nostra tantum habens, super lectum doloris sui, pro holocausto medullato dedicaverat, & quidquid præter illa conquirere potuit, velut paleam æstimans, propter Christum Dominum in coheredes & commensales illius prodigaliter expendebat. Porro juxta verbum veritatis pro simplo centuplum, pro terrenis cælestia, pro temporalibus sempiterna, pro his omnibus gustanda dedit illi Dominus: ex quibus unum, ceteris reservatis in posterum, enarrabo.

[87] Profecto cum nonnumquam in paradysum exultationis seu voluptatis, [suæ eleemosynæ ei exhibentur in paradiso,] prout Deo placuit, efferretur; vidit vice quadam claritatem mirabilem e cælo splendescere, præsertim super animas viatorum, quas ibi cernebat secum singulari raptu elevatas; viditque in illo splendore tamquam exercitum Sanctorum pulcherrimum confluere, inter quos notanter cælorum Reginam & Dominam discernebat. Videbat quoque mensas interea sericis ac pretiosis vestibus sumptuosius operiri, & eleemosynas quoque, quas diebus illis pauperibus erogaverat, quasi de cælo delatas, perapte collocari. Cernit illic & pocula, quæ fictilibus vasis sitibundis propinarat, in crystallinis aureisque hydriis reverentissime præparari, & alia quæ dederat egenis multa satis. Accedebat & gloriosus, ut videbatur, & clarissimus cœtus sedere ad mensas præparatas. Videbat etiam singulos singularis militie, suæ deferre signaculum: [accumbentibus Christo & Sanctis ministratæ.] erant tamen illic quidam Sacerdotali ornati vestitu, sed calices orificio eorum deorsum deferentes; inter quos unum fratrum suorum defunctum olim, nomine Balduinum cognovit, qui ab utero matris devotione parentis utriusque ad Sacerdotium fuerat oblatus, sed sua negligentia, postposito caractere

Sacerdotali, matrimoniali vinculo alligatus, hac de causa inter ceteros calice deorsum verso in terra minoratum. Et quod plus est audiebat illic sonum quasi ad mensam epulantium, se vero ministrantem illis lætanter illic agnoscebat. Ob quod sane cum ad se rediret, miro modo consuetas eleemosynas ampliare plurimum postmodum conabatur. O quam salubris est igitur cogitatio pios oculos a paupere non avertere, esurientem animam non despiciere, inopem verbo non exasperare; sed admodum præstantius atque salubrius hujusmodi pascere & potare, quatenus fœnerando pie, Dominum Christum in paupere fœneremur, dicentem, Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. [Matt. 25, 40] Enimvero per Sapientem dicitur: Rogationem tribulati ne despicias, & ne avertas faciem tuam ab egeno. [Ecli. 4, 4.]

### CAPUT III.

De visitatione infirmantium & in puerperio jacentium, ac de vestitione nudorum.

[88] [Pro his sollicitior Virgo,] Sed & plane numquam de viragine nostra sufficienter dixerim, nisi & de visitatione facta puerperis & ægrotantibus ad memoriam reduxero pauca quæ sequuntur. Parientium nempe & infirmantium mater & sancta obstetrix esse videbatur, ex sedula cura quam gerebat. His quoque ut dignum erat delicatiora, tamquam debilibus, fercula parari faciebat, præsertim iis qui recta fide catholicam agebant vitam. Cujus rei gratia contigit ut mulier quædam, Christi famulæ devota, [& piæ viduæ ministerio utens,] secum ad tempus moram traheret, secum conversaretur, secumque propter ejusmodi ægrotantium visitationem familiarior tempore multo haberetur: maxima enim consolatio erat ei, paris sexus & voti habere amicam & sociam, cui animi pietatem detegere posset. Qua ex re dictam feminam huc illucque, prout opus erat, juxta impetum spiritus compassivi

mittere solebat: verumtamen ut amplius comprobaret spiritum ejus, profusa semel plus solito, quasi cum cordis exultatione, advocans eam, dixit: Rogo te, soror carissima, ut jam venas pietatis pandere velis, quas geris ad miserabiles personas, vadasque ad forum piscium emptura deliciores pisciculos, quos poteris invenire, pro debilibus & infirmis; & optimo condimento para illos, sicut manducare velle tales infirmos nosti.

[89] Fecit itaque devota femina illa, ut Martha, quod jusserat sancta Virgo. Interim ista, quasi ut Maria, ferventer pro bajula sui ministerii, quod poposcerat, [jubet eam optare quod volet,] Dominum precabatur. Vix illa domum intraverat, & hæc nostra Lydwina spiritu exultans ait: Fecistine, dilecta, quod dixi? Nonne fecisti? At illa; Feci quod aptius potui. Cui Lydwina, Rem, inquit Deo gratissimam, o carissima, fecisti: jam pete a Domino quod tua conscientia dictaverit pie fore petendum; & apud Dominum, ut petita accipias, elaborabo. At illi mulier ait: Si dictis facta compenses, optima mihi soror & mater eris. Oro quatenus peccatorum meorum veniam consequar, & perseverandi gratiam: reliquum tuæ caritati relinquo. [eique perseverantiæ domum,] Cui Lydwina, Rem grandem petisti, sed salubrem: quia veniam & gratiæ perseverantiam. De eo vero, quod mihi relinquis, solus misericors Dominus sua pietate providebit. Vade, inquit, vade nunc & tu, orans pro me.

[90] [nec non occultum animi votum impetrat.] In his igitur verbis mulier, quæ tristis antea fuerat, quasi sarcinam gravem deposuisset, miro modo abiit consolata: qua ex re colligitur nostram viraginem in lumine Thearchico vidisse, quod explicite proponere non licuit: quodque flammifera prece pietatis ministram, ob amorem Christi ministrantem, misericordiarum Patri commendaverit, quæ tanta spiritus lætitia plus solito securitatem petendi proposuit, proponens fiduciam de misericordia dederit,

sane credens non mentitum qui dixit: Beati misericordes quoniam & ipsi misericordiam consequentur. [Matt. 5, 7.] Et quidem Ambrosius ait: Ardentium criminum globos benevolentiae suae fonte refrigerat eleemosyna, & quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum: ut, quamvis criminibus provocatus, cogatur liberare animas eleemosynis, quas punire disposuerat, Pater ipse pietatis: cogitur a nobis quodammodo, cum compellitur pro actibus nostris, mutare sententiam, & in uno eodemque homine nunc severitate iudicis permoveri, nunc patris pietate blandiri. Rursum Sapiens ait: Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur. [Prov. 22, 9.] Quid immoror his amplius? Consuevit Christi Sponsa suum Angelum deprecari, quatenus domesticis suggerendo suaderet, in pauperes Domini servare pietatem.

[91] Sedentibus quadam vice devotioribus atque sibi magis domesticis ad mensam, [monet Angelum fuisse qui tertio ut mendicus accesserat:] affuit quidam ad ostium, miserantissimo quodam ut videbatur affectu, eleemosynam poscens. Confessor autem Virginis admiratus super insolito petendi more, concito gradu prosiliit ad ostium: sed nec ullum invenit. Residente illo mox clara voce servataque prima modestia, quidam iterum eleemosynam petendo auditur: & idem Sacerdos, velut antea fecerat, subito surrexit: sed secundo fraudatus, resedit. Venit & alter tertio petens eleemosynam: surgit e contrario Presbyter ille: sed is cui festinus obviare studuerat (cum tamen patulus pateret oculis vicus, nec esset divertendi angulus) nusquam velut prius comparuit. Quamobrem turbati valde, ad Virginem ipsam concurrentes, factum ipsum per ordinem enarrarunt: quae respondit: O tardi corde ad surgendum fratri vestro Angelo! utinam ipsum magis venerati fuissetis de cordibus vestris! Ad hoc venit, ut probaret vos, si inter epulas quas sumpsistis, memores Domini creatoris vestri essetis.

[92] Proinde Virgo nostra Lydwina, sicut veros mendicos, palam seu secreto mendicantes, sustentabat: sic etiam e contratio detestabatur eos, [fictos pauperes aversatur:] qui de pietate quæstum faciunt & rapinam. Tales etiam socios furum, hypocritas fictos, parietes dealbatos vitandos affirmabat: qui verorum pauperum devorant eleemosynas, sua voluntate non necessitate dicentes se egenos; coram Deo sæpius inventi lupi rapaces. Contigit enim, proh dolor! ut mulier specietenus religiosa, intrinsecus tota fictitia & lupina, domos circumcursitaret eorum, quos magis pietati deditos nosset, [talibus una, ex mendaciis consuta,] maxime quos didicerat abundare. Ut igitur liquefactivæ compassionis beatam hanc Virginem esse percepisset, properavit illo ire, non quia divitem, sed potius pauperem rebus æstimaret eam, sed maximam pauperum zelatricem; ob quod & ipsa extremam pauperiem mentitura, largam quoque benedictionem se recepturam arbitrabatur. Jacebat autem eo tempore Virgo gravissimis fatigata febribus, ita ut nulli etiam domesticorum verbum loqui valeret. Lugubri veste igitur induta desuper, domesticam quamdam Catharinam nomine casu reperit, profunda quasi de cordintimo suspiria traxit, tremulam vocem ac tenuem formans, cælibem se vitam secreto ducere dixit, & hac de re amicis & parentibus despicabilem factam, adhibitis diris gemitibus allegavit. [cum eleemosynam abstulisset ab ejus confessario,] Æstimans autem Catharina quod verum diceret, duxit eam pro tunc ad Confessorem, Dominum videlicet Joannem Walteri, quoniam & ipse verus Israelita erat. Qui statim auditis querulosis verbis fictæ feminæ, largam quam quaerebat eleemosynam porrexit. Postera quidem die, cum a febribus libera foret Lydwina, mox jussit advenire Catharinam jam dictam, & dixit ad eam: Quamvis, [Lydwinam non latuit.] soror carissima, jacuerim heri sub manu Domini, sicut consuevi: non tamen latet jam me quomodo illa mendax mulier ad te venerit, & quatenus verbis deceptoriiis atque fictitiis fefellerit te & Patrem



**Confessorem meum: & quomodo de bonis Domini præsto fueritis dare illi. Igitur amodo ad dandum hujuscemodi viæ hominibus esto tu cautior: nam ut dicit Scriptura, Est qui nequiter se humiliat, & interiora ejus plena sunt dolo: rursumque, Non omni spiritui credendum est. [Ecli. 19, 23, Joan. 4, 1.]**

**[93] Satagebat plerumque nudos, cum adjutorio devotarum lanificarum, induere, quamquam ex devotione salubre propositum non aderat, pro lino byssum, pro lana purpuram, pro laboritio requiem comparare. Cumque panni utriusque substantia tam lini quam lanæ augerentur in manu ejus (ut unum ex multis referam) accidit ut Sacerdos quidam vestiendus esset. [panni sub manibus ejus crescentis exemplum.] Cumque congruus Clericalis decentiæ pannus non reperiretur, affuit mulier quæ dixit, pannum aptavi mihi novum & nigrum: sed quid hæc inter tantos? sex enim tantum ulnæ sunt, & filia mea mihi molesta est, petens sibi fieri de dicto panno caputium; & quid ego pro usu meo servabo? Quid plura? Cui Lydwina: Afferto, inquit, mihi quæso pannum illum quem aptasti, & Dominus providebit. Mirum dictu! affertur pannus ad manum Virginis, quæ quasi mensurare vellet, ducit ad os pannum & manum: & mox faciente Domino, longitudo tanta sequitur, quod & Sacerdoti de decenti vestitu, juxta honestatem Clericalem regionis illius usque ad talos provisum est; & cum post hoc tam matri quam filiæ de superfluo affluentissime superesset quod petebant; stupebant omnes super hoc facto, nec cessabant inquirere unde ita factum sit. Quæ respondit: Credite mihi, inquit, ministerio Sancti Angeli pro pace vestra id factum est, ne privaretur pius Sacerdos necessaria sibi veste, vos autem optato commodo ne frustraremini. Sic ergo Virgo nudum operuit vestimento, sane suo nos exhortans exemplo, ut sequamur vestigia ejus.**

## CAPUT IV.

### De gratia informationis & consolationis ad omnes.

[94] [Congrua singulorum conditioni monita dare solita,] Sapientibus & insipientibus debitor facta, cum litteras non didicisset, unicus ei codex fuit liber vitæ crucifixi Jesu: ex hoc, tamquam exemplari correctissimo, discipula sedula mirabili aviditate studebat haurire; adeo ut peccatoribus desperantibus pœnitentiam, justis disciplinam, adolescentibus obedientiam, senibus sapientiam, Prælatibus vigilantiam, Religiosis perseverantiam, Sacerdotibus castitatem & sanctimoniam sufficienter inculcans persuaderet. Veniebant simplices & mechanici, consilium vitæ ab ea postulantes: quibus dicebat, Otiari nolite, dilectissimi: nam otium sentina & nutrimentum malorum est: scriptum est enim, Labores manuum tuarum quia manducabis, [adolescentulas jubet cavere otium:] beatus es & bene tibi erit. [Ps. 127, 2.] Virginibus adolescentulis, cum ætas illa ferventior lasciviendi causa sit, dicebat: Multam malitiam docet otiositas: eapropter, carissimæ, tamquam a veneno virginitatis cavete. Venit & puella quædam ad domum ejus, quam vix domum ejus introeuntem, statim posuit ad laborem, nec patiebatur illam vel ad horulam evagari; sciens quod libertas, otium, deliciæ, venustas, divitiæ, incentiva sunt voluptatis.

[95] Accedebat ad eam vidua quædam sic inquiens: Satis abundo pro transigenda misera vita hac: quid ergo suades? [& viduæ satis opulentæ] an otio dare tranquillam vitam, an laborio dare operam? Respondit Lydwina: Otium tibi non consulo: nam artem lanificii nosti, quo si velis panem otiosa non comedas: sciebat enim quod scriptum est, Qui furabatur jam non furetur, magis autem operetur laborando manibus quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. [Eph. 4, 28.]

[suadet tamen lanificium:] Cumque vidua negotiari pertimesceret, & periculum cupiditatis allegaret, Virgo respondit: Ars lanificii bona est, & victui necessaria; quam si converteris in cupiditatem, utique periculosa est; si vero causa vitandi otii & ad relevamen pauperum ac tui, tantum exercueris illam, nulla tibi causa timoris. Verumtamen in hac re utere consilio meo: ut autem te Dominus in agendis dirigat, semper velleris unius lanam Domino consecrabis, dabisque pauperibus: sin autem, ob reverentiam quinque plagarum Christi totidem eisdem dabis denarios, & Angelus tuus custodiet te ne offendas. Insuper & suadeo ne tuos operarios fraudes umquam mercede sua.

[96] Contigit autem ut fluctuantibus mercantiarum fortunis, post multimoda lucra, quod mulier illa vidua damna pateretur: [eidem aureum unum injuste tenenti,] & cum mercatorem suum vice quadam, propter præterita damna, computando in uno aureo fefellisset; putans quod liceret ei propter justum damnum tacite injustum sumere lucrum; tandem post breve spatium idem mercator mortuus est, aureo reservato apud viduam ante dictam. Peracto quidem aliquo tempore mercator apparuit Virgini sanctæ, dicens: Dic quæso mulieri tali, quatenus aureum illum, quem minus juste, sub computatione inter nos habita, sibi annumeravit, quantocyus tibi restituat, atque ex hoc candelas cereas ad Missas celebrandas mihi emas, ut mihi prosint ecclesiastica suffragia, [præscribit modum restitutionis.] ipsam vero non feriat ultrix divina justitia. Eo dicto mox disparuit, mirabile dixero valde. Nuntiat Virgo viduæ quæ audierat: audit vidua quod omnem mortalem latere putabat, & quasi perculsa est præ rubore pariter & terrore; factaque restitutione, de cetero cautior efficitur, ac numquam tale quid ausa est attentare.

[97] Ad pacem autem mutuo servandam inter se vinculo matrimonii ligatos admonebat: [conjuges hortatur ad pacem mutuo servandam,] consilium autem quærentibus dicebat: Carissimi mei, sacrum conjugium assumpsistis, jam salutiferam non modo putetis in eo fidelitatem corporum, sed etiam animorum: & ideo pacem quærite, pacem tenete, ut Deus pacis vobiscum sit. Quomodo circa hominem sæpius triplicabat verbum istud quod diceret: Nos, inquit, unum habemus patrem, uno pane vescimur, omnes de uno calice participamus, patriam unam quærimus, omnes unum corpus sumus in Christo, alter alterius membra sumus. Mulier quædam suam filiam nuptui tradidit, & post nuptias gaudens de conditionibus generi tui, quodammodo se jactavit: cui Virgo ait: Non sunt adeo pensandæ temporales divitiæ, corporalis pulchritudo, generis nobilitas, dignitas personarum aut amicorum sequela: sed virtus & disciplina morum, [monet in delectu spectandam in primis virtutem,] prudentia, timor Dei; quo titulo divitiæ conquistæ sunt, quove possideantur: quasi dicere velit, Hæc attendunt homines carnales, quæ transitoria sunt; quæ vero necessaria saluti animæ, non animadvertunt: nam a parentibus dantur divitiæ, a Domino vero vir vel uxor prudens. Prædixit quoque Virgo sancta sic inaniter glorianti, quatenus in filia multas tribulationes passura foret: nihilominus asseruit auxilium Domini numquam amovendum ab ea. Quæ utique contigerunt ut dixerat illi. Supervenit enim filia dictæ feminae tribulatio carnis, [& de generi divitiis vane gloriantem arguit.] de qua memorat Apostolus; accessit sterilitas, ægritudines succreverunt, multiplicata fuere flagella: sed in his omnibus, suffragantibus orationibus sacræ Virginis Lydwinae, liberavit eam Dominus, ita quod in timore Domini Diem extremum clauderet fine salubri. [1 Cor. 7, 28]

[98] Sane quoque illis diebus vir quidam & mulier, juxta fervorem adolescentiæ, quæ jumentis similis est apud plerosque, [petulantius matrimonio utentem castigat,] se minus rationabiliter libidini manciparant: quorum vita in spiritu Virginem non latuit. Igitur virgineo servato pudore, persuasit pudicissima femina juvenulæ, quatenus desisteret ab illicitis abusibus, alioquin ira Dei desæviret in eam & in maritum ejus. Audiens autem invencula, quæ cuncta sibi licere putabat, quatenus secretum ejus peccatum Virgo cognosceret, & quoniam sic lascivire nefas esset; aperti sunt oculi ejus, & velle abstinere se valefaciens spondit. Quid autem emendæ secutum sit, nescio: sed hoc utique verum comperio, quatenus paulo post mulierculæ illius venter intumuerit, ob quod lætati sunt omnes amici & cognati, putantes quod concepisset: sed mox ut ad aures lætitiæ hujus rumor pervenit, Lydwina referentibus ait, Frustra gaudent isti homines, sibi sperantes propaginem in consanguinea sua; quia tumor ventris ejus prolem non indicat, [& pœnam deinde secutam prædicit] sed radicem corruptam, quam intus habet, & latentem infirmitatem. Quod & ita postmodum contigit: nam invaluit ægritudo, successit languor diuturnus, multiplicatæ sunt ærumnæ, & ultimum omnium terribilium mors speciosam juvenulam, petulantia carnem quondam deditam, suo jure conclusit.

[99] [corpore infirmos consilio juvat:] Plerique infirmorum, pro consilio sanitatis habendæ, ad eam confluebant: quos nedum in animo suadelis sacris ad Deum convertit; verum insuper, acsi archimedica foret, sæpe curavit in corpore. Non enim, ut Avicenna vel aliorum medicorum agmina, confidebat in herbarum viribus, quando sic pauperibus patientibus pauperula patientissima malagmata sanitatis indicabat, [succurrit tentatis,] quoniam non didicerat litteras; sed in solo verbo Domini, quo restaurantur universa. Confluebant ad eam ex omni parte Religiosi multi, tentati, angustiati, mentaliter afflicti,

variisque doloribus hominis utriusque cruciati, tamquam ad matrem desolatorum omnium illius temporis: quos quamquam in extremo periculo positos, quasi filios, sæpius ad salutem revocabat: nam mœror in corde viri justi humiliabit eum, & in sermone bono lætificabitur. [Prov. 12, 25]

[100] [mœstos spiritu recreat.] Ea propter dederat illi Dominus spiritum suum, quo signanter afflictis & desperatis quodammodo sic loquebatur: Quandocumque tædium aut angor cordis te concussit, etiam ad extremum virium; recurre quantocyus ad misericordiarum Patrem, tamquam infantulus ad ubera matris suæ; & ibi revela Domino viam tuam & jacta omnem cogitatum tuum in eo, & ipse faciet te angustiarum tuarum omnium oblivisci. Tandem post multa salutifera documenta subjungebat, Non solum æquanimiter, sed hilariter cum gratiarum actione, quævis molestia immissa vel permissa cælitus ferenda est, & quod pluris, tamquam virga dilecti patris, debet a filio complexari; eo quod infinitis modis electos quosque probare consueverit, quasi aurum in fornace. Itaque ferventissimis eloquiis inerat multum ferventis energiæ, quæ in aures virorum gementium atque dolentium transfuga, mentem & spiritum transfigebant, transfigendo quasi oleum ungebant, & ungendero spirituale velut antidotum efficiebant: gaudere cum gaudentibus ac flere cum flentibus, illi practica philosophia fuit, juxta mentem Apostoli; se tamen illibata manente semper, in medio nationis infirmæ vel perversæ. [Rom. 12, 15]

## CAPUT V.

De virtute fraternæ correptionis, qua sine personarum acceptione pollebat.

[101] Et quoniam lucifugæ lux, bufoni florens vinea, communi dicto, graves sunt; [Libere arguit divitem

quæstuarium,] ita carnalibus hominibus virginitas, ambitiosis humilitas, invidis caritas, mortuis Deo voluptuosis vita spiritualium crucifixa. Convenere nonnumquam sectatores ollarum Ægypti, bibuli & expotatores calicum, ut caperent aliquid ex sermonibus hujus Sanctæ. Quæstuarium quidam garrulus & cupidus, cum multa de Virgine audivisset, curiositatis inflatus spiritu, quasi in mirabilibus supra se deambulans, adstantibus pluribus, ad eam dixit: Dic mihi, Lydwina, quid ageres, si Dominum Jesum in summo altari sub speciebus Sacramenti occultatum cerneres, & ex alia parte in nuda & propria specie venientem videres? Subticuit paululum Virgo, & ad ultimum post lacrymas ait: Cum a pluribus doctis & venerabilibus viris toties tentata fuerim, [numquam antea visum;] numquam memini me ita molestum quid audivisse ab aliquo, quemadmodum nunc ab isto quæstuario audire cogor. Res miranda satis. Virum non viderat, nec quæstus ejus infamiam ab homine didicerat; nihilominus cupiditatem ejus respondendo exprimit, dolum ejus latentem agnoscit, sed sanctum in responsis dare canibus, quærente sagacior, refugit. Quid immoror? Stupor accepit omnes, quia viri quæstuarium cupidinem non noverant; atque confusi propter virum eundem cum quo venerant, protinus abscesserunt: scriptum est enim, quia sicut sagitta in femore canis, ita verbum in ore stulti. [Ecli. 19, 12] Ut canes multi, juxta Psalmistam circumdederunt eam: e quibus tantum uno percusso, ceteri omnes aufugerunt. [Ps. 21, 17]

[102] Mulier quædam nitebatur se Virgini nostræ suisque domesticis in amicitiam jungere, [item puellam, incubo mancipatam,] quæ spiritui libidinis, quem Doctores incubum nominant, ignominiosum consensum dederat: quod & veram Christi sponsam non latebat. Cumque domesticam nimis illam & impudibundam, sæpius se jactantem de privilegio castitatis cerneret; timens sacra Virgo, ne forsitan ceteras inficeret morbo suæ libidinis quo

foetebat, cum patientia multa coram praesentibus familiaribus suis finaliter dixit: Ut dicis ergo, [deque virginitate vane gloriantem;] virgo es tu? Cui procax lubrica, cum audacia multa, respondit: Virginem intactam me esse profiteor. Et Lydwina rursus ad illam subintulit dicens: Supervacuo titulo tanti nominis, ut timeo, gloriaris: & si scire volueris, viginti quinque tales virgines, cujusmodi tu ipsa existis, super unam molam piperariam libere chorizare possent. Quo audito, conscia sibi super scelere suo pessimo, statim confusa recessit.

[103] Indolens autem quaedam familiarior ceteris ob hanc rem, ad ancillam Christi dixit: Ut quid quaeso devotam virginem vituperans, sic scandalizasti? Et ait: Sine, sine abire: talis est enim, qualem Deus novit eam. Nolite mihi laudare in ea commenta diaboli. [quam & praedicat correctione exasperandam,] Unde si veritatem devotionis ejus experiri velis, vade & corripe eam inter te & ipsam super minimis defectibus, quos faciliter in ea poteris advertere; & si patienter humiliterque tulerit te, devotam esse cognoscas: si vero pertinaciter & contumeliose tibi in faciem restiterit, vas vacuum esse noveris atque signatum. Quod & tentante postmodum domestica Virginis, utique sic esse comprobatum est. Ad levissimum quippe caritativae correptionis verbum coepit fictus spiritus mulieris fumigare, fumigando flammescere, flammescendo turbari, quatenus non femina, sed laena, non modo virgo fatua, sed fera pessima; non mulier pudorata, sed obsessa crederetur. Qualis autem fuerit, misera mors edocuit, & infeliciores poena, qua, revelante Angelo Lydwinae, pro dolor! torquetur. Nam cum post mortem Virgo ipsa pulsaretur ad orandum pro ea, [& postea aeternum damnatam intelligit.] affuit Angelus qui dixit: Noli etenim frustra vexari pro ea, quoniam cum fictis & hypocritis abiit in locum suum. Attende lector quam lynceis oculis Virgo vera virginem fictitiam & fallacem transpexerit: quae etiam occultum crimen ignominiae



prodidit, latentem tumoris agnosci fecit spiritum: quæ quoque tale responsum ab Angelo suscepit. Melior utique fuisset ei manifesta coram paucis, quos inficere potuit, honestis correptio; quam amor inutilis & absconditus in occulto. [Prov. 27, 6] Quippe meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis.

[104] Neque id putes, o lector, quod opportunam ejusmodi correptionem solummodo servavit in pauperes & minores: [Principi secum familiariter agenti] quin imo vultus Principum & Potestatum alta fastigia non metuebat. Venit semel ad eam de remotis Princeps quidam, super arduis quæ tangebant animam consulturus eam: cumque de diversis in longius protraxisset sermonem, tandem omni modestia servata, itur ad ea quæ venam conscientiae premunt. Et quoniam alluvione paulatim terra consumitur, & saxa moventur de loco suo; [suggerit peccata quorum debeat pœnitere.] cœpit ex verbis Virginis Princeps ille graviter flere, cœpit & ipsa jaculo veritatis pectus ejus de secretis & oblitis peccatis ferire, dicens ei: Angustiatur non immerito, Domine mi, anima tua, super offensis minoribus, quas adversus patrem commisisti: sed timeo ne cauteriatam conscientiam habeas, maxima negligens quæ sarcinæ gravioris existunt; sicque Principum Judaicorum ad instar, excolando culicem, glutias & camelum: ex qua re quædam particularia, non risu sed fletibus digna, cœpit suggerere, ut magis magisque percusso saxeo corde, foras affluerent aquæ largiores. Tandem in hanc materiam verborum suorum clausit sententiam: Age, inquit, quod agis, & luctum amarum merito tibi facito, si quando tui adjiciat misereri Dominus, benedictionem pro contritione, pro lacrymis pacem, pro pœnitentia gloriam præstiturus. Abiit magnificus ille apud terrigenas Princeps, vitæque mutata in melius solita mala in se suisque reprimere de cetero studuit. Sed non multo tempore, præventus morte, post diem illum supervixit.

[105] Similiter & illustrissimis diversarum civitatum personis utriusque sexus, ad eam dissimulata veste noctu concurrentibus, verba salutis eructabat cum virtute multa: Et quidem, ut ait Sapiens, Inauris aurea & margaritum præfulgens, [Mulierem luxuriosam frustra corripiens,] qui arguit sapientem & aurem obedientem. [Prov. 25, 12] Rursus quoniam quorundam malitia quandoque confunditur ratione, corrigitur autem numquam; fiebat, proh pudor! ut qui pium spernebat ejus admonitionis oraculum, duriores apud Deum inveniebat sententiam. Unde quidem leccatrix & garrula quædam mulier erat in finibus illis, quæ cum voracitati & commensationi daret cunctos dies pubertatis suæ, decidit adeo in præceps vitiorum, quod & plurimorum simplicium corda emolliebat saecularium & ecclesiasticorum, & animos ad prodigalitatem & alia vitia sollicitabat; facta, ut apparebat in opere, laqueus venatorum, decipula pedibus insipientium, domus inferorum sibi cohabitantibus cunctis. Super quo sæpius correpta per Virginem nostram Lydwinam, facta est velut mulier adultera, quæ comedens panem tergit os suum dicens, Non peccavi. Videns igitur quia nihil proficeret, sed quod verba ejus minime transirent ad cor belluinæ mulieris hujus, cœpit quomodo potuit commensales ejus, pro posse, de medio domus illius evocare; ne forte illa pereunte, perirent & ipsæ: cœpit insuper eos, quos novit colubrina, calliditate deceptos & oberrantes parvulos, de medio flammaram liberare.

[106] Cumque Sacerdos quidam visco dictæ mulieris hujus teneretur captivus, [neque ab ejus familiaritate valens abducere sacerdotem,] vocatum ad se virum familiarem alloquitur dicens: Domine mi, te suppliciter obsecro, ne te de cetero quovis modo ingeras consortio mulieris hujus: quia conversatio ejus contagiosa a via salutis te procul abire compellet. Scis enim, quia ventris ingluviei deservire, Sacerdoti bonæ famæ, cujusmodi tu ipse

semper fuisti, multum alienum est & scandalosum. Audit igitur ille, sed non obaudit: promittit voce facturum emendam: sed opere statim recidivus, verbum Virginis vertit in fabulam. Moritur post hæc filia Babylonis misera, quæ nonnullis fuerat causa ruinæ: rediit dictus Presbyter, amicus defunctæ, quondam socius mensæ; & quid de socia sua sentiat in conscientia, sciscitatur, dicens: Numquid non Dominus de statu feminæ tibi notæ, nuperrime defunctæ, quale iudicium accepit, indicavit? Cui virgo respondit: Et tu, Pater, cupisne videre illam sicuti est. At ille, Cupio. Potens est Deus, inquit Virgo, id facere, ut eam videas quam exoptas. Oravit illa Dominum & obtinuit. Non post multo tempore factum est, ut simul in spiritu raperentur, tam Sacerdos quam Christi sponsa. Et ecce vident in remotis venire teterrimam dæmonum catervam, [huic illam mortuam] & inter eos miserrimam animam, ineffabilibus cruciatibus agitatam, adeo ut, præ horrore turbinis & caliginosæ flammæ, quasi ipsum infernum crederent adesse cum anima feminæ, nec non & tortoribus ejus.

[107] [in tormentis ostendit:] Concussus est Sacerdos & invasus pavore mirabili, longinquo tantum prospectans in pœnis, quam tantum amaverat in deliciis: quia, sicuti quibusdam revelavit, absque speciali Dei præsidio, tunc temporis vitam amodo in humanis ducere non potuisset. Sed quid profuerit attende. Verificata est sententia dicentis, Si Moysi non credunt neque prophetis, neque credent si quis resurgat a mortuis: non enim frustra locutus est qui ait; Nolite sanctum dare canibus, [& ad vomitum semel iterumque reverso] neque projiciatis margaritas ante porcos. [Luc. 16, 31, Matt. 7, 6] Bibulus erat, & bibulorum more verbum Domini risum reputavit; veritatem convertit in fabulam, horrorem monstratæ visionis in cachinnum. Adiecit Dominus gemina vice, quasi præconia voce, diuturnis languoribus eundem citans; sed precibus Virginis est ereptus; donec testia, quæ

peremptoria fuit, illi veniret; & ad vomitum redire non erubuit. Citatus autem tertio, fecit per internuntium exhortari Virginem, quatenus & in altera vice pro se orare dignaretur. Quæ respondit: Dum volui & potui, noluit ipse: & jam volo & non valeo retardare Domini sententiam: nam super lectum ægritudinis ascendit. [negat denique se posse succurrere.] Oro tamen cælestem Regem ut det illi pœnitentiæ gratiam, ipsumque quantum queo adhortor ad compunctionem. Discant ergo voluptatum amatores non sequi carnis petulantiam, discant impersuasibiles non contemnere simplicium sapientiam, discant lascivæ mulieres & meretriculæ declinare stultitiam: nam scriptum de garrula est, Multos enim vulneratos dejecit, & fortissimi interfecti sunt ab ea. [Pro. 7, 26] Et sequitur, Viæ inferi domus ejus, penetrantes ad interiora mortis.

### ANNOTATA.

Masculinum Leccator pro guloso apud Isidorum in gloßis, Cæsarium Heisterbacensem & alios, a Teutonico lecken lingere. Hæc videtur fuisse Hasa Goswini, de qua Vita prior. num. 61.

Huic non absimile est, quod de paris lubricitatis Sacerdote alio (nam alium credi faciunt circumstantiæ prorsus aliæ) his verbis narratur in Vita 1. Venit quidam Presbyter circa lectum hujus Virginis, ubi habebat altare, volens secundum consuetudinem Missam celebrare. Cui, cum sed ad hoc præparavit, dixit: Domine, non celebrabitis coram me Missam. Cui Sacerdos: Quare non celebrarem, cum me ad hoc præparavi? At illa: Nolo quod celebretis. Sacerdos respondit: Quare me prohibetis modo celebrare? libenter vellem scire causam. Ipsa dixit: Non estis vobis conscius, quod in tali domo & camera cum quadam muliere egistis, quæ bonum Sacerdotem non decent? Ipse hæc audiens mirando obstupuit. Et Virgo adiecit: Disponatis vos ad emendationem vitæ, quia infra

triduum moriemini. Quod Sacerdos audiens minus ponderavit. Sed sciens eam sanctam esse & divinis revelationibus visitari, trepidavit & timuit. Deinde rogavit Sacerdos Virginem ut pro eo oraret; & Dominus sententiam precibus ejus mutaret. Ipsa vero cunctis terribile & metuendum responsum dedit, dicens: Confirmatum est iudicium coram omnipotenti Deo, quod nulla ratione potest mutari aut revocari. Quo audito magis timuit, petens ut pro salute animæ ipsius intentius oraret. Tertia die Sacerdos ad Virginem venit dicens: Ecce me sanum & bene valentem in corpore sentio: & tu dicis, quod oportebit me hodie mori. Respondit illa: Non te decipiat corporis sanitas; quia hodie tali hora oportet te mori. Et factum est ut Virgo prædixit, quia eadem hora & die Sacerdos defunctus est.

## CAPUT VI.

De zelo ardenti quem habuit ad proximos, & quemadmodum liberavit de laqueo dæmonis etiam desperatos.

[108] [Pro animarum salute deprecatrix feruens,] Pietas viscerosa adeo Virginem zelosam effecerat, ut adversus raptorem animarum cruentissimum non feminam, sed leænâ raptis catulis suis crederes, in antro cubilis ejus rugientem. Magis proculdubio torquebatur propter animas, ex infusa sibi divinitus pietate, quam ex propria vel inflicta passione vel ægritudine, sicut sæpius expertum est. Cum Moyse Dominum deprecari pro animabus solatium erat, passiones ferre animæ lucrum, mortificari quotidie spirituale animi sui respiraculum. Fiebat enim revelatione divina ei notum sæpius, si quis ureretur, si quis scandalizaretur, si quis contristaretur, aut hujusmodi pateretur. Orabat precibus, obsecrabat gemitibus, cogebat lacrymis Dominum, invitabat promissis, dirigebat doctrinis, tenebat minis proximum:

ardebat, lucebat, zelabat: honorem Domini sursum fieri parte ex una, salutem vero proximi nancisci parte altera cupiebat. Zelum igitur ejus dirigebat veritas, quam fraenabat modestia, firmabat constantia, caritas tamen insuper inflammabat.

[109] [iubet viro ad sui suspendium tentato,] In eadem urbecula, in qua Virgo nostra jacuit, vir quidam, famosus satis ac dives, desperationis agitated spiritu, suspendio se perimere tentabat. Sacerdotis igitur consilio super hoc habito, tandem ad aliquem propensioris experientiae Presbyter se divertere coactus est. Cum igitur spiritus Domini in Virgine frequentissime solidis experimentis patuisset, venit ad eam Vice-Curatus, & ait: Sarcina gravis & super omnem intellectum meum transcendens mihi nunc imminet, Virgo carissima: nam ecce vir iste laqueum sibi parat quotidie, quo se suspendat: super quo quod meum est feci, celebravi, oravi; rationibus ostendere, quæ saluti suæ vidi expedire, laboravi: sed nec in his omnibus profeci: quinimo in dies magis magisque periclitatur. Quid ergo necessarium autumaveris, jam edoce: quia quod jusseris, explebimus. At Virgo dixit illi, Diabolicum est hoc negotium, quod patitur homo iste; quapropter videre meo necessarium dixerim, quod confiteatur homo iste pure & nude peccata sua.

[111] Mulier etiam quædam quoddam perpetrarat flagitium, enorme valde: quod quamvis nescio qua facilitate, [Mulier, cui confessum peccatum in charta obiiciebat dæmon,] fortassis superficietenus, confessa fuisset, nihilominus ut ad desperationis barathrum sua cauda draco pessimus eam trahere posset, cum charta quadam, cui flagitium ipsius inscriptum notanter videbatur, ipsam feminam in visu nocturno sub somno, quasi jus haberet in ea, supra modum molestabat. Suggerebat insuper irremissibile fore peccatum illud hostis antiquus, & prorsus etiam per pœnitentiam

irreparabile, neque in seculo præsentis neque in futuro remittendum. Cœpit igitur tristis valde mulier, illusioni serpentis tortuosi fidem aliquantisper dare: decepta, cœpit ad pristina mala quodammodo discrimini se committere: cœpit commotioni pedes rursus exponere. Sed pius Dominus, qui multa sinit ad pœnam peccatoris purgatoriam ad tempus, in perpetuo non est passus hanc perire. Reliquiæ peccatorum interdum diem festum agunt suo actori, procurante illo qui dormit in thalami secreto & locis humentibus. Igitur hæc mulier laxatis habenis, [desperabunda confugit ad Lidwinam:] quasi vim passa, domunculam sacræ Virginis intrat: lacrymis manans, amaritudinem cordis exponit: quid nocte viderit, quid legerit, quid audierit, quid pavoris advenerit, quid fluctuantis voluntatis rursus accreverit, profusis lacrymarum imbribus cum amaritudine spiritus reserans, consilium pariter & auxilium humillime deprecatur. Cui Virgo: Commentum, inquit, diaboli est quod vidisti: quod potuero, id faciam: vade nunc in pace.

[112] Credidit mulier sermoni quem dixit Lydwina, & non ad insipientiam sibi: [cui pro ipsa præcanti] nam statim cœpit quasi causam reæ seu tentatæ nimium feminæ, quasi propriam Domino judici proponere: cœpit lacrymis & precibus quasi animum pii patris de cordintimo demulcere: cœpit de consistorio districtæ justitiæ, quasi gravata, reverenter tribunal miserationum Domini appellare. Ob quod mox Reginam misericordiæ statim rapta in puellarum collegio vidit, & sathan adversarium feminæ, pro qua fideliter advocaverat, quasi peremptorie citatum chartamque tenentem, agnovit. [chartæ laceræ fragmina dantur in manus,] Supplicante itaque Lydwina Reginæ cæli, statim charta manu ipsius Virginis-Matris, quæ peccatorem non despicit, quasi violenter abripitur; abrepta, in partes confringitur, particularum congeries Lydwina servanda traditur; atque confuso cruento sathana, illico Virgo, lætans & gaudens quasi capta

præda, in semetipsam revertitur. Fecit itaque convocari Confessorem suum, qui tam zeli sui quam periculi feminæ non ignarus fuit; & ostensis ipsius chartæ fragmentis, per omnia ut acceperat narravit. Redit & postmodum tristis mulier uti prius; expositaque querela vice altera, hoc solum ab ea tulit responsum: Dixi, inquit, tibi ut ires in pace, quodque pro te facere possem id facerem: & ecce dico tibi, quatenus æquo animo sis, nam nihil mali tibi continget ex hoc in futurum. [& mulieri mentis serenitas redditur.] Fide-jubeo quoque, si velis, coram stricto Dei judicio, quatenus incunctanter credas quod numquam jacturam patieris de peccato tibi ostenso in perpetuum. Quidquid etiam tibi amodo illudendo dixerit hostis, nullatenus fidem adhibeas. Gavisa est itaque mulier & alleviata his verbis, & quamvis hostis cruentissimus rursum more solito rediret, deridens eum liberata est omnino, Deo gratias agens, qui talem sibi elegit famulam. O vere igitur pia mulier & zelo Dei plena! quæ, juxta sapientem, emit eos qui ducebantur ad mortem, & qui trahebantur ad interitum non cessavit liberare. [Prov. 24, 11]

[115] Facta est igitur virago nostra quasi speculatrix domui Domini: nam & per litteras quas mittebat, aut per internuntios quos dirigebat, aut per somnum aut visum quo multis apparebat, sæpe insidias latruncolorum veris Israelitis indicavit, ne leonis tartarei repentinis obruerentur incursibus, [Per visum edocta casum mulieris reservatum,] ne blandimentis abducerentur draconis, ne dæmoniis deluderentur meridianis. Vicus est in Hollandia dictus Ouderschie, non multum distans ab oppido ubi Virgo jacebat. In hoc igitur vico mulier quædam erat graviori quodam casu innodata peccati, ad cujus absolutionem Episcopi diœcesani requirebatur auctoritas. Cumque Sacerdos persuasisset ei quatenus indilate, propter periculum, adiret Episcopum aut pœnitentiarium ejus, & promisisset; negligentia subsequente distulit aut



noluit eo ire, periculum addens periculo, animæ suæ mortem non formidans. His interim diebus speculatrix nostra, atque ut patebit contemplatrix egregia, sursum agitur in sublimibus, ubi visis Sanctorum agminibus formosis, [pro quo Episcopum adire jussa neglexerat,] in scholis suis Doctores Ecclesiæ quatuor, sublimiores ceteris, Augustinum, Gregorium, Hieronymum & Ambrosium, specialiter radiantem agnovit; qui dixerunt: Vade & dic mulieri illi, quæ Pontificalem auctoritatem adire negligit super certo casu quem commisit; quatenus, juxta promissum suo Sacerdoti factum, quantocius se expediat. Quod & illa Confessori suo cum indicasset, rogavit eum quatenus, ob Dei reverentiam & proximi salutem, quantocius nominatam sibi mulierculam adiret, ne subito fortasse vindicta Domini præoccupata, pigritando propria periclitaretur ignavia. [eam moneri curat: sed frustra,] Sacerdos autem statim illo ire non distulit, atque ita fore, sicut Virgo mandavit, mulier non negavit: sed peccatum peccato conjungens, & iniquitatem super iniquitatem amplians, adhuc misera cæca, quod sibi imperatum fuerat, explere contempsit.

[116] Liquet ergo quam benigna fuerat zelatrix fraternæ salutis Lydwina, Virgo mirabilis; quam benigna in profugis Dei filiis, quos revocavit; quam discreta quamve sedula in desperatis, quos reconciliavit; quam sollicita in tegendis periculis eorum, quos incautos agnovit; [Animarum pretium exacte ponderans,] quæ sic electos Dei filios, quemadmodum gallina pullos, congregare non cessavit. Dolebat interdum domesticæ suæ, pro eo quod audientiam cunctis adventantibus præbuerit & responsum, compensatis doloribus corporis & angustiis animi, quibus laborabat indefessis: quibus ipsa dicebat: O sorores, quid est quod dicitis? Numquid parum vobis est, ut Christo lucremur animas, quas diabolus conatur auferre? Sinite, inquit, venire omnem pauperem, omnem desolatum, omnem amarum animo: nam pro his omnibus

majora sustinuit Dominus meus Jesu Christus. Maximi pretii revera unaquæque, quantumcumque despecti hominis, [ferret zelo earum juvandarum.] anima fore dignoscitur, pro qua filius unicus Virginis moritur, pro qua unigenitus Patris in cruce tam turpi morte cruciatur. Et adstantibus aliquando dicebat: Respiciete in faciem meam & pectus meum: quantis sudoribus affluat, considerate. Et respicientibus illis & admirantibus, præ calore nimio pariter & sudore, atque ob hoc gravius eam increpantibus, respondebat: Non est, inquit hic calor, non sudor, non labor, non dolor comparandus eis quæ propter nos pertulit Dominus: nondum attingi terminos ejus qui dixit, Cupio anathema fieri pro fratribus meis: nescit enim amor habere modum, cum nos amaverit ille supra modum: quia spiritum accepit non ad mensuram Dominus noster Jesus benedictus in secula. [Rom. 9, 3.]

## CAPUT VII.

De singulari amore crucis & de desiderio Eucharistiæ, nec non de tentatione sibi per Pastorem facta.

[117] [Suos omnes dolores nihili facit,] Crevit per hunc modum amor Crucifixi Jesu in ea, insuper & meditatio acerbissimæ Passionis, ita ut omni tempore solatium esset; & nil aliud libentius actitaret, quam velut dilectum dilecta, candidum & rubicundum, electum ex millibus, quærere, & in ipsius foraminibus atque plagis, velut columba nidificans, jugiter immorari. Siquidem & vulnera dulcis Jesu & dolores ejus acutissimi animam Virginis velut gladii adeo pertransiere, ut suos quos in singulis membris & in omni genere vel specie infirmitatis excessivos patiebatur dolores, quasi nihilum reputaret; cum tamen tam mirabiliter tamque miserabiliter videretur affligi, quod saxea pectora intuentium eam commovebantur. [præ Christi passione,] Tota quippe vita

ejus in Christi actionibus, quasi viridario consolationis, versabatur: unde nimirum colligebat rosas, cernendo plagas; nardi spicas, attendendo coronæ spinas; violas & lilia, videndo livores & vulnera; cynamomum & balsamum, dum tergebat sputum & sanguinis stillicidium. Nimirum Lydwina de cordis alveolo trahebat suspiria, de pectoris abyssu imbres matutinum & serotinum dabat, & profluvia de cunctis articulis seu membris corporis: quotidiana reddebat Domino sacrificia; [quam prosequitur sanguineis lacrymis.] & deficientibus aquarum irriguis, rubri sui sanguinis per meatus oculorum stillabant fluentia. Lacrymas autem illas, quas sic ob amorem Crucifixi effundebat, inter secretarias arcani sui, rosas suas appellabat: & harum lacrymarum adhuc manent aliquæ, quas vidi; usque in hodiernum diem mira fragrantia, uti expertus sum, redolentes.

[118] Dominici Corporis sacramentum, tamquam Passionis memoriale perenne, mira spiritus affectione sumebat: adeo ut præ desiderio illius & reverentia, dies unus, quo carere cogebatur, sæpissime spatium anni unius putaretur. [Optantem frequentius communicare,] Habebat autem circa medium infirmitatis suæ, qua tetigerat eam Dominus, Curatum, virum satis litteratum, sed vehementer in his quæ spiritus sunt crudum atque inexpertum: qui satagente diabolo ineffabilibus molestiis animam virginis affligere conatus est. Consueverat ab illa prima ætate, quæ videlicet doli bonique capax est, tantum bis in anno communicare; crescente passione similiter & Passionis Christi meditatione, vices sumendi frequentare; tandem, cum alterum sine altero languorem animi provocet aut amorem, maxime in festivitatibus magnis, ardentius illud a Curatis postulare. [repellere solitus Pastor,] Cum igitur sic in festis, plus ceteris mundi sanis & mundanis virginibus, communionem humiliter posceret; stomachanti voce propellebat vir durus preces

**ejus, atque sic filia Christi parvula petente verum panem, non erat qui porrigeret ei.**

**[119] O Crudelitas feralis nimis! A planta pedis usque ad verticem capitis non erat Christi filiae sanitas: pane materiali nullo vescitur, vermes corporis scaturiunt; pascuntur ipsi, ne non manducantem ex toto devorent; [durus in hoc atque crudelis,] nec tamen pascitur illa, quae Christi filia existit, solum Christum esurit, solum Christum meditatatur, solo Christo saginatur & vivit. O inaudita igitur crudelitas! quia repellitur de mensa filiorum filia fidelior. cum tamen Christus sit panis vivus, panis, inquam, filiorum, non mittendus canibus. Sed a quo denegatur panis iste? a quo repellitur Christi filia? Repellitur a Curato animae, a Pastore gregis, a Patre spiritus sui: qui, quia Curatus, instar stabularii curam semivivi gerere debuit, infusus vinum & oleum; quia Pastor, pascere Christi oviculam pane suo decuit, cibum daturus & poculum; quia Pater, filiam nutrire licuit, datum optimum procuraturus & spiritum, quod, proh dolor! minime fecit.**

**[120] [nulla prece, flecti se sinit:] Qua de re contigit die quadam, ut Curatus ille, cujus nomen subtheo, Virginem esurientem atque praesurie Corporis Christi lacrymantem inveniret. Cui dixit: Cur fles? At illa dixit: O pater mi dilecte; si ego indigna filia tua clavem promptuarii apud me tenerem, ut tu; & ipse tantum esurires, quantum & ego; nequaquam sicut ipse mihi, sic ego tibi panem vitae subtraherem. O Pater, inquit, ne spreveris pauperulam tuam, quae nihil habet residui, nisi quod Christum meditando consoletur, & Christum sumendo sustentetur, & vivat in anima. Porro nec flecti poterat animus ejus ex verbis istis mellifluis: [Aestuat illa quoties audit Eucharistiā deferri,] sed omni saxo durior perseverabat. Praeterea cum Sacerdotes per plateas Corpus Dominicum infirmis quibusslibet deferrent, praes**

desiderio animæ succendebatur spiritus ejus, quasi famelica in memoria panis dum tangitur aut odoratur; adeo ut quandoque spiritum exhalare putaretur. Haud dubium (sicut fide digna relatione suscepi) quadam illustratione mentali perfundebatur intrinsecus in anima, quoties ardenti amore sic communicabat, & dulcedine quadam oris gaudebat sensibiliter; quamquam multo labore ipsius Sacramenti species trajicere posset.

[121] [& spirituali communionem jacturam supplet,] Ceterum cum ob duritiem dicti Pastoris pro libitu sui fervoris communicare non posset; ne saltem spirituali privaretur cum ceteris communicantibus refectiuncula, participem omnium, Deum timentium atque consecrantium se, fieri precabatur. Qua ex re factum est sæpe, quod hanc oratiunculam reiterabat dicens: Fac me, benigne Deus, tua largitate tuorum ministrorum participem, qui hac die sub Sacramento tuo mirabili Passionis tuæ memoriam faciunt, hic & in universis ecclesiis quæ sunt in toto mundo. [idemque ut faciant alios docet.] Simplicibus autem dicebat doctrinam hanc: Quando, inquit, ad Missarum solennia te converteris, cogita sane cælum aperiri, & Angelos ibi stantes aut fore præsentem, & cum eis sanctos cæli choros. Deinde sub Missarum solenniis Passionem Domini nostri Jesu Christi, devotione intima qua potes revolve. Aliis autem & hæc pia dabat monita, dicens: Exercebis te, o fidelis anima, ad internam illius dilectionem quem manducas; ad perceptibile delectamentum animæ; ad justitiam ejus, quem sumpseris: non enim, inquit, parvum hospitem sumis, sed filium Regis regum & unigenitum gloriosæ matris Mariæ; qui reformabit corpus humilitatis nostræ, & configurabit illud corpori claritatis suæ. Ipse enim est cibus plene reficiens manducantem pœnitentem: cibus sane confortans laborantem & proficientem: cibus superplene delectans exeuntem Israelitatem & transmigrantem: cibus impinguans, non corpora inflata,

**sed corda devota; non carnem marcidam, sed esurientem animam; non pigros ventres, sed pias mentes. Hæc & alia quæ legi de consuetis verbis ejus, multa nimis & transcendentia commune ingenium, loquebatur.**

**[122] Porro cum dicat Scriptura, Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me: quid dicam de sponsa Christi, [Pastor importunius sollicitatus] quam Christus novis tribulationibus ac persecutionibus exposuit, & mensam suam tempore grassantis persecutionis, non modo non parari, sed negari permisit? [Ps. 22. 5] Res pondere digna hæc, quam narrabo. Sane Pastor ecclesiæ in Schiedam, de quo supra memoratum est, cernens exterius Virginis cruces, non autem unctiones intrinsecus; cœpit instigante Leviathan veritatem in dubium vertere, patientiam ejus in fallaciam trahere, corporalis alimonix carentiam suspicari clandestinam voracitatem; arbitrans quod manus Domini non faciat omnia hæc, sed spiritus fictus, mendax & sophista. Intervenerunt igitur quædam solennia festa, ob quorum contemplationem rogare cœpit dictum Curatum, pro Communionem receptanda, nec acquievit. Intermisit denique amicos & concives: sed tam angariatus quam rogatus audire Virginis precatum nihili pendit. Qua de re cum Virgo Domino Deo vota sua cum lacrymis redderet, & cæleste minime sibi defuturum patrocinium postularet; suspendente Domino manum omnipotentix suæ, cor viri duri hujus adhuc indurescere magis permisit; ut dilectam filiam, per novum martyrium mentis, post humiliationem clarificet & exaltet.**

**[123] Fit igitur Pastor oviculæ de die in diem severior, fit in tentando sua feritate in Virginem Curatus audacior, [decernit tentare eam offerendo hostiam non consecratam.] fit ad irritandum indies spiritum contritum & contribulatum martyrizatæ Virginis audacia sua Pater proclivior. Et ecce immisit sathan in cor ejus, ut ad tentandum Virginem procederet, videlicet an aliquem**

panem materiale, non consecratum, sine difficultate sumere vel deglutire valeret. Verum justus Dominus, qui non relinquit virgam peccatorum super sortem justorum; ancillæ suæ pugnaturæ in stadio, de committendo duello per Angelum innotescere fecit. Ecce, inquit Angelus, tibi novum instat bellum, sed nullatenus formides: nam in brevi Pastor tuus visitabit te, pro Communionem quam requiris, molestiam illaturus. Et ita factum est. Superveniente quippe festo Nativitatis Mariæ, iterum per fratrem a Pastore fecit Dominici Corporis sibi requiri sacramentum. [quam Virgo ab Angelo præmonita evomit:] Nacta igitur opportunitate explendi quod cogitaverat, Curatus confessionem ejus audivit, & coram adstantibus panem laicum aut materiale hostiam, non consecratam, proh dolor! in idololatriam adstantis populi, porrexit. O vere mirabile cunctis! Vix hostiam illam de manu Curati super linguam senserat; & ecce cæpit corde & corpore mox alterari, & emittere quod sumpserat; panis ipsius aut modicissimum accidens aut minimum saporem nequens ad momentum sustinere.

[124] At ille de idololatria sua, quam stultus attentabat coram simplicibus, se deprehensum jam pertimescens, [& se delusam amanter queritur,] audacia ficta dixit: Quid agis, o insana mulier? unde tibi tanta præsumptio, ut ejicias de ore tuo Corpus Domini? Cui Virgo: O Pater, an putas me adeo deliram & irrationabilem, ut nesciam discernere inter verum Corpus Christi, & panem laicum aut corruptibilem, quem comedunt homines? Nam facile possum illud & istud per hoc discernere, quia Sacramentum verum suscipiens absque alteratione naturæ illud trajicio; istum vero panem quem mihi ministrastis, invita, velim nolim, renitente tota natura & cum angustiatione totius corporis, evomere prorsus compellor. Ille vero nefandi sui peccati conscius, [pastore pertinaciter veritatem negante.] propter adstantium scandalum, e contrario Corpus Christi dedisse se rursus

**affirmat. Redit igitur via qua venerat suam ad ecclesiam Curatus, atque qui secundum Euangelium bona data filiis dare debuit, satis se in facto declaravit pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro ovo præbere scorpionem. [Luc. 11, 12] Quid immoror? Ecce de novo iterum fames invalescit, iterum diri gemitus, iterum suspiria, iterum planctus & lacrymæ: nam compellitur pane carere famelica, necessaria subtrahitur languenti medicina.**

**[125] Porro quasi dicentem Virginem, lector, nunc attende: [Sed consolandæ Virgini missus Angelus,] Quis panem vitæ mihi tribuet? quis languenti de salute providebit? Jam coarctat me spiritus uteri mei: jam privor dulci Jesu præsentia: afficior Prælati mei duritia, insuper scandalum populi pusilli me coangustat. Cumque langueret oculus ejus præ inopia, [a Christo ipso visitandam prædicit.] & sic a festo Nativitatis Mariæ Virginis usque ad Conceptionem ejusdem esuriendo semper torqueretur; adstitit ipso die Conceptionis gloriosæ Angelus, qui claritate nimia rutilans & resplendens, confortans Virginem ait: Ne timeas neque contristeris, soror mea Lydwina, super molestatione, quam a tuo Curato passa es; nam in proximo est consolatio tua. Nam & ipsum Dominum Salvatorem oculis tuis videbis, qui sanabit & alligabit omnes contritiones tuas. At illa Domino gratias agens, omnia, ut ab Angelo suo acceperat, Pastori suo sic indicavit, ne forte diabolicæ illusioni tribueret gratiam ipsam, quam erat perceptura. Sed miser & cæcus retorsit in contemptum, quod pia Dei filia sibi notificaverat ad omnipotentis laudem & obsequium. Scriptum est enim, Quia induratum est cor Pharaonis & non audivit vocem Domini. [Ex. 4, 13]**

## **CAPUT VIII.**



**De apparitione Christi facta Virgini, & impressione sacrorum stigmatum: & de parvulo crucifixo juxta eam viso.**

**[126] Igitur cum Virgo nostra sapiens juxta consuetudinem singularum noctium observaret vigiliis, [Post impensum mulieri mœstæ solatium,] & nil temporis præteriret quod non dedicaret in ascensum contemplationis ad Deum, aut in procurationem salutis ad proximum; mulier quædam, parvulum habens filium ægrotantem, consilium salutis petitura, tristis admodum cubiculum Virginis introivit. Qua juxta morem consolata atque cum gaudio remissa, consuetis exercitationibus spiritus operam dans, sola remansit: erat enim circa noctis initium, quod communiter crepusculum dicimus, anno doloris sui decimo septimo, [Lyduinæ cellam ardere credunt domestici;] circa festum Apostoli Thomæ. Mox igitur ut sese consuetæ devotioni dedicasset, viderunt domestici quasi magnum incendium in camerula Virginis, & accurrentes velocius sperabant illud extinguere. Cumque nil reperissent incendii & obstupescerent, eisdem ex hoc trementibus Virgo Lydwina dixit: Ite in pace, hic nihil est incendii aut periculi: claudentesque ostium me solam quæso in pace nunc relinquite. Clauso igitur ostio cœpit Seraphica Virgo, supernæ contemplationis dulcedine superfusa & flammiferæ remissionis incendio succensa, sursum agi in Deum; & teneritudine quadam compassivi cordis in eum transformari, cui tam ignominiose ex caritate placuit pro nobis crucifigi.**

**[127] [ipsa illam ingenti luce plenam videt,] Paulo post, velut inter octavam & nonam horas, abducto de facie velo quo se operuerat, vidit Venerabilis Virgo quasi solare jubar in thalamo splendescere, vidit virtute splendoris illius se & quævis circumjacentia sibi, quasi solis meridie illic apparere; vidit & Angelum suum juxta se stantem, nivo candore radiare; quo tacto parumper totum corpus**

ejus ubilibet redintegratum est pro tempore: vidit advenire Angelos, quasi juvenes fortissimos, [in eaque Angelos Passionis gestantes insignia,] quorum unus crucem, alius lanceam, alius clavos, alius spineam coronam, alius arundinem cum spinea corona, & columnam cum aliis insignibus armis Domini gestabant in manibus, stantes per ordinem juxta stratum suum. Supervenientem quoque videt eam, quæ juxta crucem Jesu stabat, matrem Domini, quam multi Sanctorum comitabantur. Cumque illo tempore Virgo tantum super paleas quiesceret resupina, lectusque propter adventantes contiguus ad latus ejus satis honeste more virginum coopertus jaceret; tandem juxta promissum Angeli apparuit ipse Sponsus, in forma pueruli speciosissimi; qui super lectulum coram adstantibus Sanctis quiescens, blanda atque gratulabunda facie Virginem oblectabat. [& tandem Christum plagatum]

[128] Expandens autem se puerulus ille per modum crucifixi, illico sub specie viri perfectæ ætatis protensus videbatur. Erat autem pueruli decor candidus in principio; sed cum appareret sub forma viri, totus rubicundus & sanguineus visus est. Tandemque quasi spineo diademate coronatus, ac si de torculari venisset, in ea livedine quam olim moriens in cruce contraxit, vigilante ad plenum Virgine, sicut consueverat, corporalibus oculis visibiliter visibilis apparuit. Videbantur siquidem loca clavorum, atque in latere dextro amplæ longitudinis plaga lateralis. Hunc igitur Virgo sic intuens mirabiliter obstupuit, mixtumque dolore gaudium virginea mens incurrit. Gaudet mens in aspectu Dilecti, tam amabiliter apparentis: sed livore plagarum ipsius sauciata medullitus, [sua ipsi vulnera imprimentem;] compassiva teneritudine feriebatur cor amantis. Cumque sic in luce mens Virginis prorsus absorberetur, signifer ipse sic apparens, claritatem luminosam simul & ardorem diffudit,

atque in medio luminis tam immensi, Virgini sponsæ suæ clara in carne signa quinque reliquit.

[129] Timens igitur Dei signifera, quod vulnera tam patula in futurum latere non possent; cum ex hoc concursum hominum & applausum timeret, oravit Dominum dicens: O Domine mi Deus, maneat istud dignationis tuæ sacramentum inter me & te: sufficit enim mihi gratia tua. Mirabile dictu! [quæ ut cute obtegantur petit & obtinet:] siquidem repente superinducta est cutis quinque vulneribus ipsis; eo tamen salvo quod reliquis succedentibus annis vitæ, numquam dolore pariter & livore postmodum caruit, sicut ex tenero affectu a Domino Jesu Christo tunc poposcit. His ergo sic in ea completis, vidit beatam Virginem arma Christi, quæ præferebant dicti Angeli, reverenter de manibus singulorum accipere, atque illi deosculanda exhibere; osculatisque per ordinem armis amodo non apparere. Hæc sunt arma salutis nostræ, quæ verus Dei filius, triginta tribus quoad vixit annis, in horto nostræ fragilitatis congregavit: [deosculatur instrumenta Passionis;] hæc sunt redolentia Matris Domini aromata, quæ in agro pœnalitatis, tamquam altera Ruth, post terga metentis Jesu, Maria solerter collegit, atque sic deosculanda crucifigendæ Lydwinae, tamquam myrrhæ fasciculum inter ubera commoraturum, virgo virgini commendavit: etenim, si bene teneo, triginta tribus simul in toto vel circiter annis, nostra virago crucem subiit, in carne Christo confixa.

[130] [& Christum conversum in pueri crucifixi speciem] Cum igitur secreto signifera nostra Lydwina se confixam sensibiliter perciperet; vidit ad pedes sui lectuli crucem stantem, instar magnitudinis earum quæ cum sacra unctione deferuntur ungendis infirmis, in extremis laborantibus: viditque pendulum in cruce parvulum, sanguifluis vulneribus compassibiliter insignitum. Liquefacta est igitur ab aspectu tam pio Virginis anima,

**cæpitque collaudare Dominum dicens: Gratias tibi ago, Domine, qui me indignam ancillam tuam sic visitare dignatus es. Porro cum resoluta prorsus in laudem Dei hoc diceret, audivit pater senex loquentem filiam, & miratus admodum cui sic loqueretur, surrexit, surgensque clam appropriavit cellulæ ejus, ut videret, [ac demum in hostiam sanguinolentam] quis aut quid esset. Is igitur interim qui sic apparebat, levando se versus cellæ solarium, quod erat super caput ejus, recedere videbatur: propter quod Virgo dolens, & timens ne sic recederet, cæpit clamare & dicere: O Domine! si tu, Domine, vere es ille in quem credo, & jam velis a me separari; obsecro ut priusquam abeas, signum evidens mihi relinquere digneris, quo ipsa noscam infallibiliter, quoniam tu ipse es & non alius. Mox qui ad superiora prius conscendere videbatur, sub specie alia manifestavit semetipsum, utpote in specie cujusdam formosæ Hostiæ, tertio supra locum, in quo Virgo jacebat, se gyrantis. Erat autem istis de consuetudine supposita munda mappula, supra quam finaliter ipsa Hostia stare visa est.**

**[131] Proinde cum hoc inter Christum & sponsam consignatam a Domino sic ageretur; [super lectum accipit exhibetque domesticis:] veteranus pater ejus, qui nihil adhuc viderat eorum quæ ita tractabantur, cum simplex & pius esset, solito more super lectum filiæ resedit; & an aliquid ab eo vellet fieri tali tempore noctis inquisivit: ignorabat enim quis & quantus illic juxta eum, locum primum accepisset. Huic ergo Virgo respondit: Rogo te, pater, ut cito surgas de lecto, quia juxta me habeo Dominum crucifixum Jesum. Attonitus pater ex verbis filiæ, quantocius surgens, Hostiam illic pulcherrimam vidit, & advocatis domesticis & vicinis ad videndum mirabilia Domini, ipsum & omnes adventantes timor & stupor invaserunt: cernebant enim omnes Hostiam unam & eandem; sed non uniformiter & eodem modo, quemadmodum & patebit. Erat quippe venerabilis Hostia,**

quæ sic videbatur, major in quantitate iis quibus communicari solet, ut plerumque plebs communis & devota; minor tamen iis quibus a Christi Presbyteris celebrari consueverunt divina mysteria: sphæricæ quoque figuræ dicebatur, & radiis ad circumferentiam circumquaque se diffundentibus, Crucifixi intus habens effigiem cum cicatricibus cruentatis: in latere vero uno specialiter gutta una desuper tenaciter existente, quæ quantitatem semipisæ continebat. Jacebat etiam sic ipsa Hostia tam luculenter & manifeste, quod ab omnibus clare videri poterat: sed ipsa venerabilis Virgo Christi, hanc quasi pendulam super mappulam in aëre contiguo respiciebat.

[132] [qui & ipsi notas in hostia sanguineas vident,] Cum Virgo, in aspectu hujus sacratissimæ Hostiæ, tam spiritu quam carne admodum exultaret; & ii qui tunc aderant, ne in ejusmodi gaudio deficeret, formidarent; accedens una manum super cor ejus posuit, & perceptibiliter saltus ac commotiones cordis ac vitalium Virginis supra humanum modum fieri cognovit: etenim exsultavit cor ejus in Domino, & delectabatur in Deo salutari suo. Visio autem & discretio sacratissimæ hujus Hostiæ, a fide dignis illic præsentibus, vario modo innotuit. Enimvero pater, pius ac simplex, hanc in quinque locis Crucifixi cruentam vidit: Wilhelmus vero frater ejus, in totidem locis pari modo, ut pater ejus, vidit: mulierum autem devotarum aliquæ, in quinque; aliquæ vero in quatuor locis tantum viderunt esse cruentam. Una tamen præ ceteris Virgini familiarior, quæ Catharina dicebatur, [varii tamen varie,] Hostiam hanc præ ceteris in latere dextro & dextro pede intuita, quasi sanguinem fluere vidit, in sinistro vero pede, sanguine tantum coagulata. Vidit & hæc devota mulier Hostiam ipsam majorem esse quam ceteræ communes, minorem autem iis quibus in altari celebratur.

[133] Erat ergo differentia non in ipsa Hostia, quæ una & eadem erat, sed in modo apparitionis ejusdem, diversis diversimode factæ. Nam uni, utpote Lydwinæ videbatur in aëre pendula, aliis autem in superficie mappulæ situata: quibusdam etiam apparuit habens sanguinem coagulatum, uni tantum sanguine fluida. [ad majorem miraculi evidentiam.] His etiam in quatuor locis tantum, aliis vero in quinque vulneribus Crucifixi sanguinem habens: uni tantum tantæ quantitatis esse videbatur quanta est communis Hostia quotidiani sacrificii nostri, aliis autem ut dictum est omnibus minoris quantitatis quam sit Hostia Presbyteralis; major autem ea qua communicantur plebei discernebatur: atque ita esse, quemadmodum & viderunt omnes qui affuerunt tantæ rei spectaculo, tactis sacro sanctis Evangeliiis adjurati sunt. Haud dubium quin ad enarrandam gloriam Dei facta sint hæc, & ad assecurationem virgineæ mentis, ne fluctuaret; insuper & ad amputandum omne vulnus dubietatis posteris, qui dicere possent, Manus hominum confinxit hæc, quæ viderunt oculi patrum nostrorum, & non fecit Dominus hæc omnia. Jam blasphemus dicere nequit, Consilium hoc fuit ex hominibus: sed quod a Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

## CAPUT IX.

De novis vexationibus a prædicto Curato adversus Virginem resumptis, & de inquisitione facta super hoc per Prælatos Ecclesiæ.

[134] Eadem igitur nocte, qua sic mirificavit Dominus misericordiam suam facere cum ancilla sua & sponsa Lydwina, misit & ipsa nuntium, [Adest vocatus ipsa nocte Pastor incredulus,] qui factum tam grande Pastori suo sibi adversario enarraret, ut oculis præsentiret carnis ejus adesse præsentiam, quem tantopere malignando denegarat. Curatus autem ille hoc quasi in somnis

audiens, quamvis fidem minime daret, tamen illotis manibus venit ad Virginem, turbato spiritu dicens: Quidnam hoc tempore noctis vis tibi fieri? Cui Lydwina: An non vides Pater mi, factum quod hic contigit? Video, inquit ille, commentum seu figmentum diaboli, & non aliud. Rursum Lydwina, Nequaquam, Pater mi, [& ludibrium diaboli esse dicens] commentum diaboli est, sed Deus meus verus, quem vides, qui te & me creavit, & qui fecit a principio cælum & terram. Cumque ille facti evidentiam suffocare non posset; quinimo modo consimili guttatim, sicut ceteri, sanguine respersam Hostiam cerneret, attonitus ac repercussus quid de hac re ageret hæsitabat. Tandem autem simulata quadam exteriori audacia, compulit omnes qui venerant, [silentium indicit adjuratæ:] protinus de cella Virginis exire: & clauso firmiter super se ostio, cœpit fortiter & importune Virginem adjurare, per tremendum Dei viventis iudicium, quatenus nulli hominum id quod factum fuerat auderet revelare. Obedivit igitur Virgo viro, donec postea venit Prælati major imperio.

[135] Porro Curatus ad Virginem, quid sibi de Hostia fieri velit inquisivit. At illa, perplexa nimis quid ageret, [ipsamque hostiam sibi præberi postulanti,] quidve dimitteret, nutare cœpit intra se & dicere: Coarctor nimium & augustiæ mihi sunt undique; si abstulerit mihi Dominum meum, timeo ne linguam suam relaxet in blasphemiam; si vero penes me servavero eum, minus æquum & minus justum est, quia & ipse disparebit. Scio quid faciam: Domine, inquit, mi Deus: tu enim nosti quia crucior in hac hora, nec præsentia tua carere jam possum: quapropter te sumam, dummodo placuerit ministro tuo Curato meo mihi ministrare. Et his sic in corde revolutis, Pastori durius exprobranti dixit: Obsecro, domine mi, ut hanc Hostiam mihi tribuas. Cui Curatus: Vis igitur diabolium tibi ministrari? At illi Lydwina: Non diabolium, sed Dominum meum mihi ministrari posco. Cui Pastor: Ministrabo tibi Hostiam veram, afferendam de

**ecclesia: de hac Hostia nescio quid sit, aut unde sit: unde & sumendam hanc Hostiam tibi dissuadeo. [vix demum indignabundus obsequitur,] Ad ultimum autem tribuit ei Hostiam, quam illic invenit, dicens: Accipe igitur figmentum diaboli, & non aliud, tamen tua æstimatione, talem qualem illam esse credidisti. At vero nostra mansuetissima Lydwina, incredulitati ac duritiei sui Pastoris compatiens, totis præcordiis Hostiam reverentissime suscepit: quæ per omnem modum, quo ceteræ Hostiæ consecratæ, delectationem spiritus ac animæ facere consueverant, ita & nunc in sumptione illius factum est.**

**[136] Altera vero die, quæ tunc erat Vigilia B. Thomæ Apostoli, timens verisimiliter Curatus ne tantæ rei novitas totam extemplo percelleret urbem, [postridie autem palam asseverans delusam fuisse,] descendit ad gradus chori sui, & convocata plebe dixit: Ecce, inquit, carissimi, quomodo Lydwina, filia Petri Joannis, minus compos mentis suæ hac nocte per diabolum decepta est, sub tentatione gravi & periculosa: unde peto humiliter fieri preces pro ea, & dici Orationem Dominicam, quatenus in fide constans perseveret. Et ostenso plebi Sacramento tetendit ad domum Virginis, sequentibus eum turbis, quæ audierant omnia verba hæc. Quibus iterum in ingressu domus Virginis ait: Notum sit vobis omnibus qui adstatis, sathanam ingressum fuisse hac nocte ad hanc Virginem, ut tentaret atque deciperet eam. Insuper & Hostiam quamdam sibi reliquit fictitiam, & non consecratam; quæ non fuit verus Deus, sed commentum diaboli omnino, pro cuius rei veritate ignibus tradi paratus sum. Siquidem, inquit, quod factum est delusorium fuit: sed hoc, quod nunc teneo Sacramentum, verus Deus est: nulli ambiguum, [Eucharistiam illi e templo defert,] quia & manibus Sacerdotalibus rite ac catholice consecratus. Si quid igitur eorum quæ nocte gesta vel in modico perceperitis, id plane falsi sathanæ, qui sæpe se**



transfiguratur in Angelum lucis, opus fraudulentum fuisse firmiter credatis. Ut autem & ipsa Virgo diabolicæ illusioni fortius resistere possit, ecce nunc do ei verum Sacramentum Corporis Christi, in tutamentum mentis & corporis ejus: & orate pro ea, quatenus sumat illud ad salutem. Quibus dictis introiens, sedit juxta eam.

[137] O quanta Virgini patiendi materia! o quantæ patientiæ jam in ea coruscant insignia! non enim irritatur, non agit perperam, non loquitur sinistra; [atque in sua incredulitate pertinax,] sed maturis verbis virum durissimum aggreditur, dicens: O, mi Pater, minus juste locutus es, & a veritate procul valde; eo quod dixisti, hoc factum figmentum fuisse sathanæ. Nonne tibi priusquam fieret hoc, Angelo revelante dixeram, ut vel sic gloriam Deo dares? Nonne meorum conscius es secretorum? Numquid filiam sathan me probasti? Oro tamen Dominum, ut quod agis tibi non imputet ad peccatum. Sed nec permotus est his etiam crudus Pastor, quin imo afflictam afflixit, laceram laniavit, compunctam & desolatam mortificavit. [hanc ei ministrat.] Unde mox ad responsa Virginis indignabundo verbo dixit: Visne recipere Corpus Dominicum, quod tibi nunc attuli? At illa, Utique, dummodo tu ipse velis. Ministrato igitur Sacramento Virgini, Sacerdos ad ecclesiam revertitur, sequentibus eum turbis. Et quamvis ad tempus corruerit in plateis veritas, & æquitas non potuerit ingredi: tamen fortissima tandem omnium veritas, falsitatem vicit.

[138] Porro quod perfidus hostis quotidie adversus Christi margaritam efficere molitur, [Re vulgata oritur tumultus populi contra Pastorem:] hoc mobilibus omnibus mobilior sapientia Dei per ora simplicium interdum retorquere in hostem & ultorem conspicitur. Sane cum ob hanc perturbationem per Curatum suscitatum tota permovetur urbecula, adeo consternatus est vir ille animo, ut immunitatem ecclesiasticam, propter furorem populi,

nullatenus exire tremens auderet. Cujus rei gratia convenerunt Rectores urbis illius ad Curatum & dixerunt: Dic nobis, Pastor, meram veritatem: quatenus sedare possimus populi adversum te concitatum furorem. Quibus ipse ait, Nil aliud scio dicere, quam mane dixerim plebi; [qui interrogatus quid fecerit de Hostia,] utpote quia omne id quod nocte hac apud Virginem Lydwinam actum est, quædam diabolica ludificatio fuit & execranda tentatio. Cui rursus dixerunt: Si ludificatio, ut affirmas, sathanæ fuit, cur Hostiam illusoriam non servasti? & si servaveris? ubi posuisti eam. Qui ait: Tradidi ignibus comburendam. Rursus cum Clero Rectores ajunt: Ostende nobis ignem vel locum ejus, ut vel sic inquisitione facta sciamus, an forte verus sit Dominus, qui fecerit hæc, an forte fictitium quoddam. Curatus autem obmutuit.

[139] Crescente rumore populi adversus Curatum, rursus coguntur adire Curatum secunda vice, super tam mirabili facto inquisituri. Qui respondit: [in responsis suis variat tertio.] In aquam projecit Hostiam, quam commemoratis. Et cum illi ex adverso rursus condicerent, tertio dixit quatenus Hostiam conjecisset in cloacam, ne forte propter vesaniam simplicis ac rudis populi idololatria subsequeretur. Cumque verba hæc audisset populus, magis infremuit adversus virum, eo quod Hostiam, quam multi fide digni tam notabilibus insignitam miraculis viderant, in cloacam turpissimam projecisset. Et missis iterum de majoratibus, dicunt ei: Ecce tuam ob culpam tumultus magnus fit in populo, magnaue turbatio valde. Qua ex re suademus tibi consilio seniorum Urbis, quatenus septa sacrorum locorum exire non præsumas, nec appareas in plateis. Tutius fuisset tibi inprimis nudam dixisse veritatem: nam qui adfuerunt & viderunt eam, cum verbis trifariam mutaveris sententiam, adversum te clamant & testificantur.

[140] Mittitur igitur ad Episcopum, quatenus ob imminentiam periculi, veniat ad locum Schiedam, omni dilatione postposita. In illa siquidem nocte præventus in somnis, & sæpius admonitus est ut discedat in urbem Schiedam, [Accersitur Schiedamum Chorepiscopus Ultraject.] quia sua præsentia ibi opus esset. Venit igitur properans Dominus Episcopus Matthias, suffraganeus Trajectensis, atque cum eo populi multi & Officiales confluxerunt. Audiens autem Curatus advenisse tot Prælatos ecclesiæ, consternatus & conturbatus est animo valde. Et veritus nefas commissum, satisque desperans de adiutorio, clam misit per internuntium, & amicum misit ad Virginem, rogans eam, quatenus id quod stulte commiserat adversus eam, nequaquam ulcisci vellet: [Pastor orat Virginem ut se juvet.] verum cum in se benigna & misericors extitisset, ita factum ipsum quod patrarat, benignius & misericordius excusaret: viso etiam quia sibi magnum periculum immineret, cui sola ipsius clementia, tamquam sibi cognita poterat obviare. Virgo vero cum sensatissima foret & non minus pudorata, se facturam pro eo spondit, quidquid salvo Dei honore, fide bona facere posset: non enim novit pro malo malum, sed bonum reddere, exemplo docta Salvatoris, qui pro crucifixoribus in cruce dignatus est Patrem exorare.

[141] Quid multis immoror? Accesserunt ad domum Virginis Prælati qui venerant; [Hæc laicis abesse jussis,] quos tristis & gemens Pastor, tamen adhuc crudissimus, sequitur. Fit canonica de tam grandi tamque mirando facto per Prælatos studiosa inquisitio: fit de execrando Pastoris insultu seriosa discussio: fit eorum qui viderant aut interfuerant informatio copiosa. Cum autem mansueta Virgo Cleri atque Sacerdotii summopere zelaret honorem, rogavit Episcopum, quatenus plebeis emissis de cubiculo, se solam cum Prælati audire dignaretur: & ipse consensit. At illa videns quia jam sine popularium pusillorum scandalo loqui valeret, memor pristinæ

desolationis & blasphemiae sui Curati adversus Omnipotentem bacchati, de profundo cordis in lacrymas resoluta, [& sponsione exacta de Pastoris indemnitatem,] dixit: Oro, reverende Domine mi, ut duo mihi non deneges, priusquam ad interrogata respondere compellar. At ille, tamquam pius pater consolans eam, ait: Confidens pete quod volueris; & quod justum atque rationi consonum fuerit, utique faciam. Resumptis igitur utcumque viribus, exorsa est: Ante omnia peto, inquit, absolvi praesertim a vinculo, quo constricta sum: districto enim viventis Dei iudicio adjurans me Pastor meus alligavit: quamobrem de tam singulari materia respondere non valeo, nisi prius auctoritate majoris fuero absoluta: ceterum flagito humillime Reverentias vestras, quatenus hac de re Domino meo Pastori damnum in rebus, aut molestiam in corpore non inferatis.

[142] Cum autem illi advocantem & orantem pro adversario mirarentur, [rem omnem ut gesta erat explicat,] promiserunt se facturos in omnibus, uti desiderabat anima ejus. At illa dixit. Coram vobis igitur Dominis meis, in caritate hic congregatis, protestor & offero me, pro veritate eorum quae circa me facta sunt, mortis subire supplicium. Noveritis igitur Dominum meum Jesum Christum hic corporaliter, in forma pueri crucifixi, ad pedes lectuli pendulum, apparuisse in cruce; cujusmodi crucis instar & magnitudinem ministri ecclesiae tempore sacrae Uctionis infirmis deportare consueverunt. Fuit autem ipse sic crucifixus, ut videbatur, quinque vulneribus insignitus, quae circumdabat claritas copiosa: quem cum ob sui amabilem praesentiam ardentius, ut decet, fuisset intuita, timensque ne a me vellet separari, mox ad eum dixi, ut potui: O Domine, si tu vere es ille in quem credo & jam velis a me separari; obsecro ut priusquam abeas, evidens mihi signum relinquere digneris: quo ipsa noscam ineffabiliter, quoniam tu ipse es & non alius. Et qui abscedere visus est, sub alia specie,

videlicet Hostiæ, descendere dignatus est super me. Et quia hujusmodi sacratissimam Hostiam sumere concupivi, Curatus meus tradidit mihi illam, quemadmodum optaveram. Qua ex re ego deprecor parvula vestra filia, quatenus si negligentia quacumque seu fragilitate Curatus meus in hac re offendit, juxta promissam mihi fidem, quantum vestra interest, propter amorem Dei & precem meam, paternaliter compati, & ex integro remittere dignemini.

[143] O venerandam Virginem, & de cordintimis nostris imitandam, insuper & admirandam. [absque ulla de Pastore querela,] Nam cum vir iste, Nabal durior, lamiaque crudelior, convitiis atque contumeliis eam affecit, communionem Corporis Christi toties esurienti subtraxerit, ad idololatriam in hostia non consecrata provocare actu non erubuerit; quodque majus est, quasi deceptam vexatamque a dæmoniis & ob hoc in fide periclitantem, coram turbis diffamaverit; non est quo minus ipsa pro eo lacrymas fundat coram Deo, preces porrigat coram Prælato, insuper & excuset coram judicio. His igitur tranquille a Virgine prolatis, cum primam fidem irritam facere non auderent, mitigati sunt animi Prælatorum omnium: [& testibus auditis res tota probatur.] & adductis singulis testibus, de veritate visi miraculi longa discussio atque pervigil inquisitio facta est. Nempe de cetero gloria Dei celari non potuit, innocentia Virginis simul & patientia per omnem circum regionem emicuit, deprehensus est spiritus nequam & mendax in ore Pastoris, ut amodo non gloriatur, qui gloriabatur in sua malitia, potens quondam & pertinax in iniquitate.

## CAPUT X.

**De sumptione Sacramenti sibi postmodum ad libitum concessa: & de signis evidentibus impressorum sibi stigmatum.**

**[144] Sane quidem pacem cordis nacta cum Pastore, cœpit fidentius sacram Communionem postulare, [Exhinc liberius] sumptamque magis ac magis indies esurire; siquidem singularem Domini suavitatem communicando percepit, ubi dator datur & donum, ubi donum idem cum datore, ubi dator totum dat seipsum. Erat revera cibus iste non rarus ei, sed assiduus; mentem Virginis illuminans ad humilitatem, non ad inflationem; affectum ejus inflammandum ad caritatem, non ad æmulationem; vires animæ restituens & corroborans, non ad destitutionem. Erat siquidem cibus iste dulce ferculum, [& magno cum fructu communicat Virgo:] virgineum spiritum devotione reficiens; erat & lautum edulium, jugem Passionis memoriam efficiens; erat & clarum jentaculum, diem fruitionis in posterum præfigurans. Merito igitur panem hunc quærit adhuc adulescentula, candens nitore puritatis virginæ: digne pro eo ardet amica Domini, facta in fervore caritatis concubinariæ: juste languet pro cibo tali, quandoque futura sponsa in fulgore caritatis æternæ. O quam suaviter hæc reverenda Christi sponsa virtutem Sacramenti ruminabat, quo nihil efficacius! o quam deliciose in eo lætabatur & pinguescebat, quo nihil suavius! o quam vigorese os ejus laudes depromebat, quo nihil dignius laude!**

**[145] [gratiam vero acceptorum stigmatum dum nititur celare,] Cœpit igitur, in hujus pinguedine panis, impressorum stigmatum in locis plagarum fortes sustinere dolores; & velut lampas flammifera, inextinguibili caritate sursum ferri. Et quamvis felix Virgo sacramentum summi Regis abscondere modis omnibus, quoad vixit, niteretur: nihilominus ubi plenitudo temporis advenit, ad gloriam impressoris sui latere non potuit. Transformaverat enim**

**Christi amor amantis amatam similem in imaginem, & ideo gloriæ Dei fuit celare, quamquam interdum gloriæ Regum sit investigare sermonem. Quod autem in Virgine propter humilitatem homines latuit, in vita ejus revelante Deo celari non potuit; sed & post obitum ejus, sicut nonnullis constat, revelavit. Ut autem secretum Domini tegeret, chirothecam in manu sinistra gestabat, quæ mira suavitate redolebat. Nocte vero quadam, dum adhuc viveret in carne, apparuit cuidam matronæ Virgo nostra clarissima, [matronæ cuidam in visu sic signata ostenditur:] quinque stigmata ferens in corpore, in quorum jucundo aspectu, dicta matrona solatium mentis ac spiritus mirabili modo hauriebat. Quæ cum in crastinum ad locum ubi Virgo jacebat accelerasset, diligenter cœpit inquirere si forte sic secum esset in corpore, quemadmodum ipsam viderat nocte in spiritu. At illa ex humilitate non affirmans, nec mentiri volens super eo quod quærebatur, hoc solum exultans in spiritu, nutu quodam ostendere visa est, videlicet quod ostenso sinistro brachio manum matronæ apprehendens & stringens, cum ingenti gaudio dixit: O caput, caput! quasi dicat: Secretum meum mihi, secretum meum mihi.**

**[146] In regione Anglorum mercator quidam erat, qui Lydwinam in carne numquam viderat oculis, [Mercator in somno monetur] nec nominari perceperat auribus, ut dicebat. Hic autem in tibia morbo laborabat incurabili, adeo ut medicorum nullatenus curari posset medicamine: Qui semel miserabiliter dolens ac gemens præ tristitia spiritus, tandem obdormivit. Et ecce cum sic dormiret, admonitus est in somnis, per se aut per nuntium ab eo mittendum, transfretare in oppidum Hollandiæ nomine Schiedam; [ut pro curanda insanabili tibia sua] nec non & de aqua, qua Virgo Lydwina pro tempore languens manus lavasset, portare: quia de hujusmodi lotura tibia sua lota sanitatem extemplo foret receptura. Mane igitur surgens vir debilis, servum suum vocat, & ad transfretandum in**

Hollandiam talentum partitur; & ut de loco Schiedam diligenter inquirat studiosius præcipit; nomen Lydwincæ languentis ibidem notanter exprimit; atque de lotione manuum ejus reportanda affectuosius hortatur & jubet. Flantibus igitur ventis secundis, venit volente Deo servus ad locum; aquam loturæ, quam ex caritate Virgo negare non potuit, [aquam portat, qua ipsa manus laverit:] impetrat: qua nacta, rursus navem conscendit; & juxta desiderium mox optatum, sibi ex Hollandia in Angliam gaudens reportat. Mirabile dictu! Mirabilis Deus in Sanctis suis, mirabilis in majestate sua! Statim enim ut mercator ille allata sibi aqua tibiam abluit, marcida carne sine dilatione mutata in vivam, restituta est ejus tibia statum in pristinum, nec ullum exinde dolorem in ea sensit. Sic igitur factum est ut per admirandam ejus virtutem, cujus manus lota vel intincta fuerat aquis, vir in remotis existens curaretur, & insanabilis carnis marcedo prorsus fugaretur.

[147] Mulier quædam honestæ vitæ, quam in humanis quandoque vidi, [Mulier alia laborans incurabili fistula] mihi quod narro retulit fide dignum. Tempore namque vitæ Lydwincæ gravi quadam laboravit ægitudine, sed secreta. Hæc, quemadmodum Virgini domestica & familiaris erat, & secundum consilium Virginis summopere vitam suam transigebat, confidentius ad eam venit consilium petitura, quod tanto discrimini opus esset. Cui mox Virgo indicavit omnem infirmitatem, originem, periculumque insuper, ei detexit: Scio inquit, quia fistulam habes in corpore, quæ ob continuum stillicidium inposterum ampliabitur temporis successu: [ejusdem Virginis attactu sanatur.] attamen suadeo tibi medicos quantocius accedere, a quibus curam si acceperis, Deo gratias age; sin autem, juxta beneplacitum voluntatis ad me revertere. Abiit igitur ad medicos peritiores, quos habere poterat; sed supervacue: & quidem quod fistulam haberet indicatum est ei: sed tristis relictæ ad Virginem



sanctam rediit; & quomodo desperarent omnes de cura latentis ægritudinis insinuavit. Verum cum Christi signifera dolores feminæ, tam in animo quam in corpore, revelante spiritu nosceret; oratione primum fusa devotius, locum doloris sacra manu leniter exterius tetigit, atque malum desperatæ fistulæ radicitus extirpavit. Gaudet ex hoc mulier honesta; gaudet in hodiernum diem id adhuc commemorans, in laudem Virginis benefactricis, veneranda matrona; nec commendare sufficit hoc & alia beneficia. Quo facto luce clarius patet, quam pretiosa sit manus Domini in Virgine, [Expendit auctor gratiæ prædictæ certitudinem] cujus lenis contactus morbum occultum & mortiferum evulsit de corpore.

[148] Non admiretur quis Virginem nostram plagis Salvatoris sic insignitam secretius, cum Paulus stigmata Domini Jesu Christi portare legatur ad Galatas; cum Lucas crucis mortificationem in corpore gestare dicatur; & Franciscus patulas, tamquam sigillifer, accepisse probetur etiam plagas. Quid admirantur homines, Dominum ex omnibus mulierculis unam fortem, imo plures fortasse, elegisse? Numquid creator omnium Deus sexum femineum adeo dispicit, ut inter multos viros illustres viraginem hanc illustrem annumerare non decreverit? [& excellentiam:] Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, sexu, ætate, gradu, qui operatur justitiam ejus, acceptus est illi. Alii Christi milites, ut Apostoli, publica Christi trophæa circumvexere per mundum universum; nonnulli, ut puta Martyres, gloriosum sanguinem fuderunt propter Christum; alii vero, ut Confessores cum vitiis & concupiscentiis sese crucifixere propter præmium: hæc autem Virgo nequaquam in sexu femineo despectior, latens quasi in ergastulo, Christi vulnera renovasse videtur annis plus quam triginta, [ipsique Sanctæ eam gratulatur.] super infirmitatis omnimodæ strato.

[149] Eja igitur generosa filia, Christi vulneribus nobilitanda, fer sigillum & vexillum Christiformis patientiæ. Eja nunc formosa Christi sponsa, tam præclaris monilibus adornanda, fer signaculum virginalis pudicitæ. Eja nunc speciosa primiceria, tam multis puellis comitanda, fer titulum Hollandiæ. Eja nunc vigorosa Christi signifera, tantis virtutibus circumdanda, fer vexillum patientiæ. Et quidem, o Virgo, tuas laudes tacere non audeo, tuas virtutes enarrare non sufficio; væ mihi autem, si quod de te mihi constat, non dixero. Lapidés clamare possunt, ingratus si manum retraxero. Etenim sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare & confiteri honorificum. Igitur hæc de profectu virtutum Virginis, modo balbutiendo, pro præsentis dixisse sufficiat.

## PARS TERTIA.

### De perfectiva caritate & vita S. Lydwiniæ.

#### CAPUT I.

#### De caritate ejus in orando & patiando pro salute vivorum.

[150] Igitur dum nostra Virgo, velut myrrha electa nec non velut aurum optimum, [Totam se animabus Deo lucrands impendit Virgo,] fuisset comprobata; cœpit, tamquam thus redolentissimæ devotionis, ac velut thymiama accuratissimæ commixtionis, coram Domino rursum se offerre; & quasi nihil profecisset illo usque, pro lucrifactione multarum animarum, corpore & spiritu se totam flammis caritatis concremare: cœpit, cum Daniele, mulier desideriorum existere; cœpit, velut Austri Regina, veri Salomonis sapientiam concupiscere; cœpit in scala Jacob ascensiones cordis disponere; cœpit longum, latum, sublime ac profundum crucis Christi, humilis discipula comprobare. Siquidem solitudine nocturni silentii nacta,

lacrymis stratum rigabat, genas cruore tegebat, pectus sudoribus quasi balnearibus replebat, corpus durioribus coaptabat doloribus. Spiritu fortis facta, corpus nihili pendebat, proculdubio quasi Passionis insignia deferens; ut amica, pro parvulis in fide filiolis trinum panem mendicabat ab amico; ut filia, pro fratribus prodigis sollicitabat coram patre miserantissimo; ut sponsa noviter subarrhata, pro peccatoribus miseris preces fundebat coram sponso iudice futuro.

[151] Plurimi, quos vidimus & audivimus, ad eam, [quam rogans quidam ut profectus sui impedimentum auferri petat,] tamquam ad matrem filii, concursabant: qui habito secum colloquio suavi valefacientes, oratiunculas ejus exoptabant. Eo namque tempore Canonicus quidam claræ vitæ Regularium, qua pollet Germania nostra, ut Deo vicinior fieret, cum fervore ad illam ait: Oro te, inquit, Lydwina, instanter precare Altissimum, quatenus auferre dignetur a me, id quod magis oculos suæ majestatis offendit, & quod saluti meæ signanter esse noverit impedimento. At illa, Orabo libenter. Erat autem vir ille devotus, vocem canoram & claram habens valde, in qua humanam quamdam gloriolam cantandi adhuc possidebat. Oravit illa: raucescere cœpit iste: sed quia Dominus fecerit, hoc rei docuit successus. Deficit vox amodo viri Canonici; sibique ad succurrendum per medelas organis raucedine læsis, [vocis canoræ gratiam irrecuperabiliter amittit.] impatiens medicos, longe lateque consulendos, excogitat, ut suavis vocis dulcedine iterato gaudeat. Tandem cum frustra in lenitivis cibis, poculis, unctionibus & electuariis laborasset; quidam Canonicus clariorem habens mentis oculum, coram expertissimo medico, quasi subridens ait: Dico tibi, magister medice, quod comes itineris mei semel a virgine Lydwina petiit pro se precari Dominum, quatenus ab eo sua pietate dignaretur auferre, quidquid oculos suæ majestatis ex ipso magis offenderet, quodque saluti

animæ ipsius contrarium videretur. Et ecce quod petivit, jam, ut reor, habet ex Virginis precibus: quamobrem mihi frustra videtur imo superfluum, quod in medelis exquiritur. Audiens hæc medicus, qui Virginem noverat, subintulit dicens: Si res ita se habet, Hippocratis & Galeni codices nequaquam succurrere valebunt. Hoc itaque facto clarius liquet, quoniam & nescius impedimenti sui Canonicus, feliciter Virginem petiit; & quomodo efficacius, quod saluti necessarium fuit, pro viro devoto Virgo devotior impetravit. Formæ decus, vox sonora, robur corporis & sanitas ejusdem, modici pretii sunt, si non in Domino, sed in hujusmodi datis ejus plus merito gloriemur.

[152] [ab eadem benedictum poculum] Habebat carissima Virgo carum sibi ministrantem nepotulum suum, filium fratris puerum duodecim annorum, pro quo Dominum exoravit devotius, ut puero Dominus pro memoriali eorum, quæ circa se facere dignabatur, febriculam immitteret; non autem ad mortem, sed ad castigationem solummodo, quatenus tam ministerii sui quam illius cui languenti ministrabat memor esset in futurum. Cum puer ille duodennis vas haberet, de quo bibere solitus erat; circa festum Nativitatis Virginis Mariæ, jussit ipsa Dei famula vas ipsum plenum cerevisia tenuissima, [conversum in potum suavissimum.] quæ modico ptisanam superabat in valore, juxta stratulum suum collocari. Quod cum factum esset, mane vas illud plenum optimo liquore inventum est, quasi speciebus aromaticis cælitus conditum, & Angelicis manibus præparatum. Biberunt itaque de poculo illo quam plurimi, quibus ut dicebant, nullus talis liquor antea notus erat in terris, quibus nec nocuit unquam, profuit autem & placuit plurimum. Bibebat ex eo tunc puer, Virginis nepotulus, & mox febribus ubique per membra diffusis, ab illo tempore usque ad festum B. Martini Confessoris, quasi per preces Virginis a Domino commonitus, laboravit. [sumens ejus nepotulus febricitare incipit.] Oravit igitur

**Virgo & statim liberatus est. Non mirum quin poculum unum atque idem sic orationibus Virginis a Domino fuerit impetratum, ut quod uni, videlicet parvulo duodenni, ad ætatis grandævæ futuræ prebebatur memoriale signum; ceteris maturioris temporis, qui gustarant, perenne fieret in recordando solatium.**

**[253] Agnovi & ego plures in seculo, qui Virgini dum viveret in carne devotiores fuere, [ejusdem famam inter combibones defendens quidam,] quibus verbum istud per eam innotuit, quo dicere consuevit: Nescit, inquit, lascivus animus id sane capere, quoniam virtus in infirmitate perficitur, sed & nondum habita eadem impetratur: cujus rei gratia rem grandem narro. Vir erat in oppidulo illo Schiedam, Otgerus nomine, potens ad bibendum satis & vorax; sedens quodam tempore ad mensam cum bibulis ac edacibus viris aliis in taberna: cumque linguas vaniloquas post potum exacuerent adversus electam ancillam Christi, tandem ventum est ad virulentas detractiones & verba blasphemicæ, utpote quia vel vorax voraret in secreto, aut quod dæmonium haberet, non manducans in manifesto. Audiens autem hæc Otgerus, quia sic famulam Christi mortiferis laniarent obloquiis, quamquam & ipse calicibus epotandis vacaret, tamen latratibus eorum invitus aures præbens, seque murum ponens, in hæc verba pro Virginis innocentia respondit: Sileamus quæso, socii, de Virgine: sufficit enim nobis stultitia nostra, qua Deo quotidie peccamus. Virgo hæc bona est & sancta, & quidquid in ea fit a Domino fit: nec tutum est infligere adversus Dei amicam mordacem sententiam, cum nil mali patulo nobis de ea innotuerit. Quin imo nobis, qui mali sumus, molestum foret audire, si talia cum veritate ab æmulis dicerentur.**

**[154] [& alapam ideo impactam patienter ferens,] At illi, tamquam poculo calefacti & æquo animo verba defensoris Lydwinæ non ferentes, multo majora**

præsumpserunt, tandem dicentes, In peccatis natus & innutritus es, & tu corripis nos? Unus autem ex eis, dans ei duram alapam, ait: Vade, vilissime hominum, vade: nostram societatem turbare non præsumpseris. Quibus, alapa suscepta, respondit: Ad hujus honorem, pro cujus nomine vobis ita respondi, alapam hanc suscipio patienter: & his dictis recessit. Mirum dictu! Jacet in remotis, jacet in abditis Virgo, nihilominus quid vir responderit suis detractoribus non latet; & quomodo tulit alapam patienter ad gloriam Dei & honorem suum, Confessori suo, prius quam diffunderetur ad aures hominum, seriatim narrat dicens: Oro, inquit, Pater, ut concito gressu domum Otgeri accedas, & ut in nomine Dei & meo confortans eum fideliter, dicas, Lydwina te salutatur, atque ex parte Dei regratiatur, [Virgini revelatur,] eo quod pro gloria Dei & honore suo zelans zelatus fueris, alapamque susceperis patienter, pro qua Dominus ipse gratiam tibi reddet in tempore opportuno. Mox igitur mane facto Confessor ejus Dominus Joannes Walteri ita fecit, & admiratus est vir & ait: Et unde novit ipsa quæ gesta sunt? nam & hesterno vespere contigit tarde quod dicis, & nemini hominum per me innotuit. Cui Confessor: Sufficiat tibi quod ipsa noverit, & mandaverit tibi hæc. Æquanimior esto, & Dominus providebit.

[155] Et tunc cœpit vir ille dimittere consortia; cœpit & declinare vitia; [factusque vir frugi] cœpit, velut alter Job, in rebus temporalibus multiplicia subire flagella; cœpit, velut Thecla, sub tribula Domini compurgari: flagellat enim Deus omnem filium quem recipit: etenim absque flagellis, tamquam de regione longinqua, de regione dissimilitudinis revertentibus, raro salus facta est. Quid plura? Quamvis vir ille, cum porcis seu porcinis viris manducare solitus, exinde in rebus, in amicis, in domesticis, in membris propriis, procellosis quateretur angustiis; crescente sibi damno, crescebat simul cum gratia patientia sancta; adeo ut ubi abundaverat

voluptas, [post varias castigationes feliciter obit.] ubi præcesserat vanitas, ubi comitata fuerat iniquitas, subsecuta est pro voluptate patientiæ tranquillitas, pro vanitate decens maturitas, pro iniquitate superabundans caritas. Quippe vir iste longa ægritudine, quasi virgis, attritus & maturatus, deposita tam sarcina corporis, quam peccati pristini scoria, lætus & gaudens tandem, ut Job alter aut Tobias, migravit ad Dominum.

[156] Præterea cum alterum alterius onera portare jubeat Apostolus, consuevit & virago nostra, in corpore invalido validiori spiritu, aliorum infirmitates assumere, [Mulieris sibi devotæ cruciatum in se recipit Virgo,] ut adimpleret legem Christi. [Gal. 6, 2.] Mulier quædam Deo devota, nimio dolore corporis fatigata, cum sederet in atrio domus Virginis, & flendo præ atrocitate punctionum clamaret; statim advocato suo Confessore, quid esset, Virgo sciscitatur. Cui Confessor: De domesticis nostris & consororibus est, quæ usque ad stridorem dentium compulsa, requiem quærit, & non invenit. Cumque fecisset illam ad se vocari, ait: Visne, soror, quod te juvem hac in infirmitate tua? Cui mulier: Vellem utique, vellem: sed tibi tua sufficiat multiplex quam pateris infirmitas: sed tantum Deum quæso ora pro me. Oravit Virgo Dominum, & statim liberata muliere, addidit Dominus super vulnera Virginis duplicia, adeo ut diem & noctem cum stridore dentium, præ solito more, non sine videntium stupore, miro modo cruciaretur.

[157] [puerum lectulo suo impositum sanat,] Ceterum quodam tempore, cum cujusdam mulieris puerulus, morbo quodam satis horribili cruciatus, clamores lugubres emitteret, nec requiem caperet, allatus super lectum, qui Virgini contiguus jacebat, illico tacens quievit. Cumque ab eo peterent an melius haberet, dicebat, Jam bene mihi est. Virgo autem, quæ puerulos ad castitatis amorem invitare consueverat, puerum hunc sic ad pristinam

sanitatem gratia divina reductum, verbis blandis allocuta, ad virginitatis amorem, quantum illa capiebat ætas, exhortari cœpit; quam & postmodum grandiusculus adamare didicit, adamatamque in religione devotior factus profitendo devovit.

[185] Sacerdos quidam, verus Israelita & veræ Virgini ob suam pudicam vitam maxime carus, febres acutissimas passus, [Sacerdotem a febris] ad mortem usque periclitatus est: hujus igitur soror, quæ virgineis verbis magnam fidem dabat, consultura Virginem advenit dicens: Quamdiu, o soror mea Lydwina, frater meus has gravissimas patietur febres? Cui Virgo respondit: Circa primam Dominicam instantis Quadragesimæ liberabitur frater tuus, ne pertimescas. Quod & ita factum est: nam fundente Virgine ad Dominum preces, qui Ezechiam a morbo mortis liberavit, [die prænuntiata liberat.] & super naturam annos quindecim vitæ tribuit, vir quondam filius mortis, quasi a Domino Virgini datus, illico sanus effectus est. Cujus rei veritatem vir quidam religiosus ab ea didicit, eo tempore, quo circa Sacerdotem præfatum hæc agerentur, quamquam promittere tunc compulsus fuerit, ne quoad ipsa viveret revelaret.

[159] Consuevit etiam, pro periculis & clade præcavenda in populis, sæpe pati in corpore, [varias patriæ suæ clades avertit,] sæpius & orare: adeo quod in urbecula sua locum tenere videretur viri illius, de quo in Ecclesiaste dicitur: Civitas parva & pauci in ea viri: venit contra eam Rex magnus, & vallavit eam, & perfecta est obsidio: inventus est in ea vir pauper & sapiens, & liberavit urbem per sapientiam suam. [Ecle. 9, 14,] Ita dixerim de Virgine nostra. Nam contigit quodam tempore ut pater in filium, & filius adversus patrem, ob partialitatis distamen, in provincia illa consurgerent: qua ex re plurimi filii pacis, fugam petentes, tutiora loca quæsiverunt, ut salvarent animam suam. [imprimis tempore belli civilis.] Cumque



rabies persecutionis indies ferveret, venit quidam profugus de longinquo, qui dixit: Coarctor nimium & angustiae mihi sunt undique: scio quod mortis fauces tempore tam periculoso effugere non valeo, nisi Virginis quae latet in Schiedam orationibus fuero praeservatus. Unde cum quidam verba haec retulisset, cum humilitate respondit: Gratias ago Deo meo, qui simplicium hominum corda talem fiduciam facit habere in me pauperula: verumtamen confidens confido in Domino Deo Jesu meo, quod nobis existentibus in oppidulo Schiedam, aequè bene vel melius erit, sicut & vicinis circumquaque.

[160] [& hostilem classem accessu prohibet.] Porro suscitata guerra damnisque innumeris per vicinas urbeculas illatis; ecce classis navium, totis viribus ruinam Schiedam praestolantium, venire coeperunt, ut destruerent illud. Et quidem venientes forti in multitudine, laborantes laboraverunt remigio, tradentesque rates vento quantum poterant, nullatenus ad locum, quem destruere conabantur, pervenerunt. Laborabat armatorum militia, vacabat orationibus Virgo Lydwina: oravit & vicit. Optimum Christiano tironi pugnandi genus oratio supplex: siquidem Bethulia, superatis ab Assyriorum potentia nationibus gentium, prece, lacrymis, jejuniis sanctae viduae Judith salvata legitur: insuper & Achior, confessor potentiae Domini dominorum, praeveniens pie feminae industria, ab Holoferne blasphemus praeservatur.

## CAPUT II.

De caritate quam habuit ad animas in Purgatorio existentes.

[161] [Purgatorii poenas considerans] Coepit unctione magistra quasi ruminare verba melliflui Bernardi de regione expiationis, quibus se, pie negotiationis intuitu, in regionem illam grandem iturum dixit, & visurum

quemadmodum pius Pater glorificandos filios in manu tentatoris ad tempus reliquit. Considerabat enim quam sanctum quamve salubre sit exorare pro mortuis, præsertim qui non ad occisionem, sed ad misericordiam; non ad destructionem, sed ad castigationem illic reservantur; vasaque sunt, non contumeliæ, apta ad interitum; sed vasa honoris & gratiæ, præparata misericorditer ad regnum. Captis igitur spiritualibus armis Christi, surgebat illis in adiutorium, ut saltem labor illorum quandoque terminetur in requiem, miseria convertatur in gloriam, flagrum mutetur in coronam. Tempore namque nocturno rapta in spiritu ad visionem loci pœnarum, videbat animas contorqueri, ignem quoque sæpissime flammiferum in altitudine maxima circumferri mira compassione prospectabat. [ad easque videndas rapta,] Porro cum semel ab ea quæreret Angelus ejus, an unam ex animabus, ad digitum ostensam, juvare vellet, respondit: Volo utique. At ille: Te igitur jam para per medias transire flammam. Cui Lydwina: Et libenter id facere satagam. Et transiens per medium flammarum, [animam liberat per medias flammam transeundo:] vidit illic tortores [daemones] quasi cum indagine vel terrore se contrahentes, & quasi moleste ferentes caritatem Virginis adjuvantis. At illa cum pertransisset, vidit animam illam, pro qua se flammis exposuerat, a pœnis liberari; liberatamque, cum lætitia & gratiarum actione, postmodum ad cœlestia gaudia festinare.

[162] Rogavit eam quidam, cujus pater defunctus erat eo tempore, quatenus pro eo preces fundere dignaretur: [item aliam pro ea aliquid patiendo,] pro quo ducta est ad regionem illam ubi anima dicti viri torquebatur: & ait ad eam Angelus ejus: Ecce vir iste est, pro quo te deprecaturam spondidisti. Statim autem ut vidit eam spiritus viri, ait ad socios: Mira jam video: nam ab eo tempore quo purgandus hunc locum intravi, spiritum in carne viventem non vidi, nisi spiritum Virginis hujus, super

quo benedictus sit Dominus Deus, qui mirificavit misericordiam suam mihi in hac hora. Paulo post, orante ac patiente pro eo in corpore suo sancta Virgine, liberatus est homo, sicut & uxori suæ postmodum revelatum est.

[163] Vidit semel Virgo spiritum cujusdam defuncti specialibus pœnis tormentari, adeo ut ferreis stipitibus infixus, [alteri mitiorem pœnam impetrat,] etiam animum Virginis ad miserendum permoveret. Cumque tremens, quis esset, perquirere ab Angelo non auderet; dixit Angelus ad eam: Hic frater illius est, pro quo soror sua te intercessuram postulavit: si quid igitur pie nunc petiveris pro eo, fiet tibi. Quæ ait: Oro igitur quatenus ab his ferreis, quibus infixus est, stipitibus liberetur. Qui statim solutus pœnis illis specialibus, ad locum communem purgandorum deductus est. Et cum soror defuncti, ut sciret de statu fratris, Virginem molestaret; ingemiscens Virgo tandem ait: [& reliquam cum defuncti sorore partita,] Si tibi dixero quod novi, ne turberis obsecro. Et illa: Nequaquam turbabor. Cumque dixisset Virgo quæ viderat, tamquam salutis fraternæ desideriosa, eleemosynas certas erogari præcepit, atque inter cetera caponem pro pauperibus infirmo præparari consuluit. At illa fecit in omnibus sicut præceptum erat atque persuasum. Et ecce noctis gallicinio caterva dæmonum venit, quorum unus caponem tenere videbatur in manibus, instar alterius qui pauperibus fuerat erogatus; cum quo gravissime utramque, tam Virginem quam sororem defuncti, in facie verberavit. Quid plura? passa est soror viri quasdam postmodum infirmitates in corpore, propter fratrem suum: [totam demum in se suscipit.] quas cum, præ atrocitate nimia dolorum, ferre non posset; oravit pro ea Virgo Dominum: & ablatis passionibus mox a femina, quod residuum erat, caritative corpore proprio supplevit: & liberata tandem est anima, Domino propitiante, qui per

preces suæ vernaculæ tam magna tamque mira cooperari dignatus est.

[164] [orat indesinenter pro animabus:] Ob zelum animarum sæpe sanguifluos imbres ab oculis fundens, dicebat: O Domine Deus meus, utinam carnem meam & sanguinem dare possem, pro satisfactione illarum animarum, quas tua flagellatione castigas. Pro his Patrem exorabat gemitibus, pro his implorabat suspiriis, pro his invigilabat orationibus, pro his sacrificia procurabat a Presbyteris; pro his, ne detinerentur sub manu torquentis, se totam in holocaustum incendebat. Vir quidam, nomine Balduinus, dictus de Campo, infirmus corpore factus est, qui nocte Conversionis Pauli Apostoli migravit a seculo. Eadem quoque nocte rapta in spiritu, vidit hominem, sibi facie incognitum, ad pedem montis stantem ut adscenderet, sed impotentem. Qui videns eam, dixit: [unam earum visa sibi in montem subvehere,] Miserere mei, quæso, Lydwina, miserere mei, atque in hunc montem ferto. At illa, sumpto in humeros viro, tulit in montem, sed difficulter valde. Quis, inquit Virgo, vocaris? At ille, Balduinus de Campo inter homines vocor. Mane igitur facto, cum Confessor ejus visendi gratia camerulam intrasset, invenit quasi labore gravi fatiscentem, atque cum difficultate gravi respirantem, propter quam causam dixit: Quid agis, filia? cur plus solito anhelando gravaris? [ingentem reportat lassitudinem,] Respondit Virgo: Si scire velis, Pater, de monte jam venio, in quem virum quemdam, Balduinum de Campo, laboriose propriis humeris tuli, & sudore pariter & labore jam fatigata respiro. At ille cum nomen viri sæpius audisset, facietenus tamen non agnovisset; factum est ut illic nescius, post triduum celebraturus veniret, ubi defunctus ille Balduinus ad Dominum transierat. Locus autem dicitur Ouderschie, non longe distans ab urbecula Schiedam. Cumque illic defunctum ecclesiæ Custodem audiret, sciscitans de nomine pariter ac cognomine, agnovit quoniam & eadem

nocte obiisset, qua sic Virgini in montem scansurus apparuerat.

[165] Presbyter quidam, nomine Petrus, totius vitæ suæ decursu carnis illecebris deditus, [pro Sacerdote graves luxuriosæ vitæ pœnas dante,] vitam emendare proposuerat: qui celeriori morte præventus & contritus admodum, satisfactionem pro peccatis condignam adimplere non potuit. Denique cum Virgo pro defuncto Dominum precaretur, mox ab Angelo ductore in regionem illam delata, lugubrem vocem quasi de abyssu putei cujusdam audivit: quam revelante Angelo, dicti Sacerdotis animam esse, pro qua tam ardentem oraverat, agnovit. Cum autem miraretur eum duodecim annis tam horribili loco detentum, Angelus eam intuens ait Visne aliquid sustinere pro liberatione animæ illius, quem audis. Volo, inquit, [anno post mortem ejus 12 patiens,] libenter. Statim ostendit sibi ductor suus locum, in quo gurges aquarum tam horribilis & niger videbatur, ut quasi cataracta seu vorago multorum torrentium, fluentium cum impetu, putaretur. Transire te oportet, inquit Angelus, gurgitem aquarum omnium quas cernis, animam si liberare desideras. At illa cum sonitum terribilem tumultuantium aquarum intrare pertimesceret, animabat eam Angelus transire constanter. Mox itaque virtute desuper induta, & excessiva caritate victa, tamquam avis generosa pro captura generosæ prædæ, se aquis exposuit, & labore nimio, cum vadum transiret, obtinuit victrix quod optavit. Vidit extemplo Sacerdotis animam, [animam ejus liberat.] nive candidiorem, de pœnis evolantem; demum quasi pulcherrimo quodam rivulo se tingentem, tinctamque cum jubilo celos ascendentem. In ipsa quidem hora cum ad se redisset, tanto sudore madere a domesticis reperta est, ut adstantibus nullatenus dubitabile fieret, quin aliorum veniens, spiritu nimium extiterit fatigata. Sicque juxta consilium Sapientis, noctu non prohibuit gratiam: quæ secundum

**Apostolum in carne supra carnem se prorsus impendebat.  
[Ecli. 7, 37, 2 Cor. 10, 3]**

**[166] Erat & alius Sacerdos, Virgini nostræ satis gratus & devotus: [pro altero, a se ante mortem converso, orans,] quem etiam suis sacris admonitionibus, aberrantem in via morum, dum viveret, a seculi vanitate revocaverat. Hic cum post cœptam pœnitentiam, annos adolescentiæ suæ, non sine peccato transactos, cum amaritudine spiritus deploraret; aliquamdiu post conversionem morbo pestilentico prævenitur. Cumque defuncto suis ut potuit lacrymis ac precibus maternali affectu succurreret, factum est divino nutu, ut ipsa supra se spiritu rapta plurimum angustiaretur, eo quod de statu reducti per eam Presbyteri nosse peroptabat. Proinde spiritus Dei Angelicus, qui comitabatur dilectam, quærere cœpit, si quid de amico suo Sacerdote scire vellet: si quoque aliquantulum ad suffragandum eidem sustinere promptula foret, serius inquisivit. At illa respondit: Si fuerit voluntas Dei & absque meo detrimento, id summe desidero. Et mox rapuit eam spiritus ad locum pœnarum, ubi teterrimum puteum vidit, terribundis cruciatibus plenum, & ait; Estne, frater, infernus locus iste? Respondit Angelus, Nequaquam locum infernum esse dixeris, quamquam inferno vicinum.**

**[167] Cumque circumquaque spectaret, vidit ibi locum quemdam improportionabiliter terribiliorem, [discit specialiter torqueri eum,] quasi ex lapidibus nigerrimis constructum, cujus altitudo visus humani potentiam excedebat: audivit denique clamores mirabiles & stridores, gemitus, ululatus, tumultuationes, malleationes, percussiones; quibus animæ tam crudeliter a tortoribus sine miseratione torquebantur, quod si totius terræ rumor, clamor & fragor audiri possent, nullatenus loci ipsius horrorem transcendere putarentur. Cumque suum interrogaret Angelum, quis qualisque foret hic locus, ait:**

**Locus, quem cernis, reproborum est, visne videre? At illa perterrita nimis, dixit: Nolo videre; siquidem & audire quod audio, de cetero prorsus exhorresco. At vero ut Virgo loca tormentorum continuo flammivoma cerneret, [salutis suæ adhuc incertum:] puteum singulariter notavit, cui quidam Angelus, ut videbatur, facie mæstus insidebat. Porro cum Angelum illum fore custodem animæ Presbyteri sui, pro quo oraverat, causamque mæroris vultus ejus ex certis ipsius demeritis didicisset; sane quod illic speciale purgatorium haberet, ab Angelo protinus audivit. Verum cum hæc carissima Christi sponsa, sitiens amici salutem, Angelum intuita fuisset; mox ad nutum ductoris illius puteus aperitur: de quo teterrima nec non & fumibunda flamma [prorupit, & vox] cum ejulatu clamorosissimo, desuper audita est. Nostisne, inquit Angelus, vocem illum? Cui Virgo: Novi peroptime. Et ait Angelus ad eam: Visne videre eam? Volo, inquit.**

**[168] Confestim autem ascendit spiritus ille, velut ferrum ignitissimum, voce confusa dicens: O carissima Lydwina, o speculum purissimum, quis mihi det ut quandoque Dominum in te, & te in Domino speculari possim. Mirabile valde! [visaque anima sic terretur,] quam cito viri animam ascendentem, quasi ex abyssu putei, vidit; tanto pavore consternata est, ut etiam cingulum novum, grossum & hispidum, quo more consueto succincta tunc temporis ad carnem erat, in spissiori saniorive parte per medium rumperetur. Nec moram passa, cum illo terrore quantocius ad se rediit. Cumque ab ea quæreretur, [ut cingulum ejus cilicinum dissilierit.] qualiter in hora illa se habuisset, respondebat: Credite, inquit, mihi, credite, si placuerit; quod, nisi me vinceret Dei amor & honor ejus, pro quo cuncta pati non renuo; si pro simili terrore etiam omnia, quæ cæli ambitu continentur, ad votum mihi donari deberent, nequaquam similem subire vellem terrorem. Quid immoror? factum est ex hoc ut paucis diebus succedentibus Angelum illum, quem mæribundum**

**viderat, exhilaratum & gaudiosum contueretur. Deductus est tandem spiritus Presbyteri illius ad communem, dimisso puteo, expiationis locum; & suffragantibus pœnis, quas ex caritate Virgo nostra sanctissima patiebatur, miserante Domino, qui solvit compeditos, exoneratus & expeditus a pœnis debitis cœlos ascendit.**

**[169] Ceterum quam prudens & circumspecta fuerit in responsis, [De statu ostensarum sibi animarum parcissime loqui solita,] ex his quæ subnotanda sunt luculentius apparebit. Cum enim mulier quædam verbosa, ad sciendum secreta Dei judicia de cujusdam defuncti anima, Virgini multum infesta foret; & quemdam Religiosum languidum, tamquam virum authenticum illius temporis, leviter sciscitantibus de quibuslibet defunctis definitive respondentem allegaret; prudens Virgo, ex alieno periculo cautior facta, respondit: Mea non interest judicare quempiam: sed si Religiosus ille, quem tantis effers laudibus, revelando faciliter ut allegas, vivens bene fecerit, defunctus ille jam persentit. Audiverat siquidem ab Angelo virum ipsum, quamvis continentem & devotum, satis tormentis tamen expositum; eo quod revelationibus multa de suo sensu commiscuisset minus vera, atque sub prætextu revelationum hujusmodi sanctus reputatus in vulgo, munera laudesque vanas hominum accepisset.**

**[170] Preterea cum Comes Hollandiæ, Dux Wilhelmus, viam universæ carnis fuisset ingressus, [Comitissæ Hollandiæ de marito defuncto interrogationem,] & relicta ejus, mendosa quorundam relatione, quomodo juxta Virginis verbum maritus suus defunctus salutem fuisset consecutus, & qualiter ipsamet Lydwina triduo mortua revixerit, audivisset; illico, ut moris est præpotentum Dominorum, an sic esset, an quoque talia Virgo dixerit, per internuntium secretum curiosius inquisivit. Nuntius autem cum venisset, cœpit eam curiosius rimari, quemadmodum ei fuerat imperatum a Domina sua,**



dicens: Ecce, carissima Virgo, quia fama pervenit ad aures Principissæ nostræ, quatenus triduo mortua revixeris, & quia dixisse debueras, animam bonæ memoriæ viri sui, Ducis & Comitæ Hollandiæ, liberam prorsus & absolutam ad cælos evolasse. [discrete eludit.] Cui Virgo respondit: Noveris, optime frater, quoniam si triduo mortua fuisset, concives & vicini mei utique me sepelivissent: insuper si Dominus tuus tam cito ab omnibus purgatoriis pœnis liber esset, ego, quæ decimum septimum in his ægritudinibus jam transegi annum, satis prolongationem incolatus mei & dolorum meorum deflere possem. Nuntius autem his auditis, suffusus rubore, quid amplius diceret non habuit; sed suo fraudatus desiderio, Virginis responsum viduæ Principissæ renuntiavit.

[171] Quidquid igitur sane sine læsione propriæ conscientiæ, nec non & sine detrimento fraternæ salutis celare potuit, secretum tenere consuevit. De religiosis viris, quorum vitam cœlibem, aut Sacerdotum, quorum honestam conversationem noverat, fidentius loquebatur: de secularibus bonæ famæ coacta parcius: de pestiferæ vitæ viris ac mulieribus, [arguit diffidentiam Sacerdotis,] etiam adjurata, modicissimum revelabat. Factum est una dierum ut Sacerdos quidam, satis in vulgo honestus & famatus, juxta grabatulum Virginis, multis considentibus, consideret. Cumque vas grano sinapis plenum haberetur ad manum, & sermo de pœnis Purgatorii apud eos verteretur, tandem dixit Sacerdos: Vellem tot annis esse in purgatorio, quot sunt grana sinapis in hoc vasculo; dummodo de salute animæ meæ tandem certitudinaliter mihi constaret. Audiens autem hæc verba Lydwina, quasi suspirans respondit: O Domine, quid est quod ita loqueris? ut quid tantillum de Dei misericordia confidis? Si scires quis & qualis est locus Purgatorii, [diuturnum optantis purgatorium, modo salutis suæ certus esset.] qualisve locus purgandorum, quantumve illic multimodum tormentum, nequaquam sermonem hunc protulisses.

Moritur non multo post tempore Sacerdos ille, & de statu salutis suæ coram ancilla Domini sermo altrinsecus ventilatur ab amicis: quæ respondit: Bene quidem est animæ viri hujus, propter probitatem suam; sed melius fuisset ei, si vivens majorem fiduciam posuisset in virtute Passionis Christi; insuper & mitiorem in purgatione suscepisset sententiam. Quibus sane verbis patet, quam consultum est timere Dominum, quam pium sperare in Domino: nam de lege timoris est, frænare animum ne tumeat; de ratione vero spei, dejectum relevare ne succumbat.

[172] Sic igitur patet quam ardens fuerit cor Virginis nostræ ad succurrendum animabus defunctorum; [intelligit quanti meriti sit defunctis succurrere.] qualiter post impressionem secretorum in carne stigmatum, quasi Angelica, valles flentium atque dolentium animarum permeabat; & quomodo precibus, fletibus, ægritudinibusque variis afflicta, easdem Domino permittente relevabat. Sciebat equidem Dei filia, quoniam mensuram bonam, confertam & coagitatam & supereffluentem, pro ejusmodi defunctis exhibita gratia, retribuet Dominus in sinum suum. Unde factum est, cum ad liberandas animas spontanee refectiunculas Angelicas per diem sumeret; venientibus solennitatibus decuplum ob gratiam defunctorum, & centuplum in consolationibus receptaret. [Prov. 19, 17] Fœneratur enim Domino qui pauperum miseretur.

### CAPUT III.

Qualiter ob Passionis Christi ardentem memoriam ad loca diversa, præsertim ubi Christus passus est, raptabatur.

[173] Siquidem frequens meditatio ignitum in ea inflammaverat affectum, [Singula loca in suis raptibus

perlustrans,] viscerosa exercitatio pietatis ad animas benevolum informabat effectum; sedulum contemplandi studium, altivolum ad loca Passionis Christi transferebat amplexum. Ad montem myrrhæ sæpius Angelicis devecta solatiis, noctis sub silentio, nostra creditur virgo Lydwina; ibique qualiter Salvator noster mysteria nostræ redemptionis perfecit, contemplata fuisse. Denique (ut verbis illustris viri Hieronymi, quibus Paulam alloquitur, nunc utar) si per speciem aliquam, certe aut in spiritu, sive in corpore sive extra corpus nescio, Deus scit; ipsa tamen Virgo loca conceptionis Dominicæ in Nazareth, nativitatis ejus in Betlehem, præsertim in & circa Hierusalem, perlustrasse dignoscitur; & locum salutiferæ crucifixionis, videlicet Calvariæ, ubi Dominus cornu salutis titulumque virtutis erexit triumphalem. [(quod suo etiam Confessario aliquando obtinuit)] Non enim fuit famosus illic Terræ-sanctæ locus, quem non in spiritu vel in specie calcaverit pes ejus. Suo etenim Confessori, qui super hoc admirabatur, similem raptus a Domino gratiam impetravit; ut etiam secluso Confessionis sigillo, se fuisse cum ea in locis illis non erubuerit confiteri.

[174] In ejusmodi raptibus tam ferventer Sponsum flagitabat, ut [si vidisses] nunc ad præsepe lacrymantem, [in congruos cuilibet affectus offunditur:] nunc ad gremium matris virginis blandientem, nunc in cruce crucifixo confixam, nunc autem ad sepulturæ locum reviviscentem, nunc ad pedes ascensuri instar catuli clamitantem, alteram Paulam beatis oculis videre te autumares. Admittebatur sæpius, quasi Salvatore coram posito, nunc ad oscula pedum, nunc manuum, nunc ad aperturam vulneris lateralis: ubi aliquamdiu commorata, tantam hauriebat suavitatem spiritus, ut sui ipsius penitus oblivisci videretur. Si quando ob spiritus fervorem ad eum locum, ubi Sponsus ejus Patri spiritum in manus commendans expiravit, raptivis attractibus demulceretur; mox se conformando dilecto, in amorem & absynthium

compassionis resolvebat spiritum etiam suum, quasi commoriendo & deficiendo omnino cum spiritu Sponsi, cui medullitus vivebat. Reportabat denique post hujusmodi Sponsi attactus signa patentia fixurarum in carne; quibus, tamquam sigillis peregrinationis testimonialibus, aliquid praeter spiritum aut speciem imaginariam accepisse nosci poterat.

[175] Profecto cum Virgo nostra sanctissima, trans torrentem Cedron, [Dominum in calvariam comitatur:] coram Domino in horto sudoris ejus sanguinei raperetur; vidit & diligenter notavit ipsius orationes, ac sudoris Domini modum & seriem. Quin imo suscepto post agoniam osculo, audivit Dominum sibi familiariter dicentem, Visne mecum ire in calvariæ locum? Quæ ait: O Domine Deus, Salvator meus, unica spes vitæ meæ, tecum ire, [alias ex illis raptibus minime phantasticis refert spinas] tecum pati, tecum mori parata sum. Et duxit eam similiter Dominus in eundem quem dixerat locum. Cumque ab his locis sacerrimis reverteretur, referebat in labiis pustulas, in membris fissuras, in juncturis puncturas, in carne spinarum & tribulorum particulas: ob quas etiam Angelus dicebat ei: Signa hæc visibilia & sensibilia tecum, o soror mea, ideo detulisti, ut scias te non per somnium aut phantastice, sed veraciter & experimentaliter in locis sacris extitisse. Aliaque vice cum Virgo sic rapta foret, [distortum lapsu pedem,] atque loca redolentissima permearet, pervenit ad loca quæ propter irriguorum lubricitatem impertransibilia videbantur, ubi lapsum pariter & divaricationem dextri pedis persensit: quapropter cum ad se redisset, non modo aculeos dolorum in ipsius pedis junctura passa est, verum etiam ad oculum livorem ac tumorem, insuper manifestissime diros cruciatus diebus multis per contigua membra toleravit.

[176] Modo quidem consimili visa est frequentissime, quasi de remotis veniens, nunc læsa in digitis, [alia signa visibilia,] nunc in pedibus: nunc ab urbe Romana, visitando sanctas septem ecclesias; nunc a monasteriis devotissimorum Religiosorum, præsertim Canonicorum qui reformatam ducunt vitam; nunc de diversissimis regnorum mundi partibus ab Angelo reducta. Nempe divina dispensatione fiebat ut, propter redundantiam interiorum charismatum, spiritus affluens corpori communicaret reliquias consolationum; cui, tamquam instrumento metendi nec non & asello suo, suas communicabat & passiones. Anima quippe sanctæ Virginis in corpore, & corpus cum anima simul in extrema conflagrabant agonia, simul concurrebant in stadio, simul collaborabant in tuguriolo. Quapropter nil mirum si simul spatientur, si consolentur, si in Domino gloriantur, si futuræ gloriæ præludia, si primitias spiritus, si mensæ filiorum participia, per modum arrhabonis, per modum stillicidii cælitus rorantis susceptando, simul peregrinentur & convivant.

[177] [item cælestis odoris fragrantiam,] Audivi ab eis qui teste sua conscientia mihi dixerunt, quod dum Virgo sancta post hujusmodi raptus ad se venire videbatur, non aliter quam electissimarum specierum apotheca redolebat: neque enim se poterat continere, quin velut vas plenum musto & absque spiraculo totum tugurium simul & adstantes, exsufflando cum spiritus impetu, repletet; uti per industriam sæpe observata est, per devotos & fide dignos valde. Apponebant sæpius furtivo modo vultus, nares & ora, ut quidquid vellent tollerent aut sentirent spiramentorum aut reliquiarum spiritus ejus: nam pectusculum ejus non aliud videbatur, quam vas unguentorum Domini electum, vas admirabile, verum opus excelsi. O quibus unctionibus dulcedinis! o qualibus pigmentis sanctitatis! aut quantis electuariis suavitatis

**redundabat cella vinaria Domini, promptuarium  
cælestium aromatum, abyssus divinatorum charismatum!**

**[178] [& tantam in spiritu suavitatem,] Interrogata quidem  
frequentissime a nonnullis devotis, quomodo se in illis  
deliciis continere posset; præsertim dum pleno quodam  
haustu, cum Petro in montem seorsum ducta, de fluentis  
dulcedinis biberet; humilis Virgo respondit: Ut minus  
sapiens dico, quia latere vos non possum: bonum mihi  
quia humiliat me in infirmitatibus Dominus: etenim sine  
illis nequaquam pondus consuetæ misericordiæ &  
consolationis ferre valerem. Proinde dum consolationibus  
abundavero, [ut ei ferendæ par non esset absque  
doloribus corporis;] disco postmodum in corpore  
miserabili pœnas incredibiles pati. Et quid miramur? ait  
enim Petrus, Bonum est nos hic esse: sed quem suavitas  
interna ad sanctam ebrietatem spiritus quodammodo  
levaverat, timor paternæ vocis humiliat; unde inferius  
sequitur, Et ceciderunt in facies suas & timuerunt valde.  
[Matt. 17, 4, Ibid. 6] Bona est consolatio, quam non tumor  
inflat, sed timor consolidat: quam non in ventum mentis  
superbia projicit, quam non in magnis ambulare  
arrogantia dictat; sed perfectæ crucis patientia  
consummat. Sic igitur more filiarum Dei Lydwina nostra,  
ductu ductoris sui, raptabatur ad diversa loca spiritualium  
recreationum: sed mox instar puerorum, ad scholas  
redeuntium, gravabatur super eam virga & ferula magistri  
sui, videlicet Christi. Multa suscipiebat a Sponso solatia,  
& post hæc ad quævis dura & aspera perferenda  
tangebatur, unde scriptum est, Visitas eum diluculo, &  
subito probas illum. [Iob. 7, 81]**

**[179] Sed ne silentio præterierim quatenus Lydwina, Deo  
carissima, [præterea notitiam accuratam locorum.]  
devotorum noverat monasteria, domos, cellas, officinas,  
personas & exercitia; & quomodo sæpissime numquam  
antea in seculo visas, nominatim atque cognominatim**

discernebat. Cumque viri religiosi super hoc admirarentur, & inquirerent unde eos sic nominatim agnovisset, dicebat: Dominus mihi donavit. Prior quidam religiosæ domus Regularium de Brielis, collatiunculam ex more secum habens, conventus sui dispositionem ita distincte ab ea intellexit, ac si cunctis diebus vitæ suæ per universos angulos conventus sui fuisset conversata. Cumque miraretur homo super verbis ejus, item & adjecit: Noveris, optime Pater, quia quiescentibus omnibus in dormitorio Fratibus præsens fui, & singulorum Fratrum Angelos custodes in cellulis notavi.

[180] Vir quidam, dictus Wilhelmus de Haga, filium Henricum adolescentem habebat, qui, [adest in spiritu juveni habitum Carthusianum induenti,] patre ignorante atque inconsulto, Ordinem Carthusiensem in Brabantia intraverat: cumque propter celebrem famam Virginis, domunculam ejus introiret, ecce statim Lydwina, quasi ex nomine pariter & cognomine, virum gratanter salutatur, insuper eidem, pro prospero successu devoti filii numen pariter & omen gratiosius imprecando, denuntiat. Audiens vir ille se nominari ab ea quam numquam viderat, vehementer obstupuit, & quid sibi velit hæc salutatio, cum rememoratione dilecti sibi filii, protinus inquisivit. Quæ respondit: Filius tuus, o Wilhelme, Dei omnipotentis dono Religionem Carthusiensem intravit, unde gratias immensas Domino referre debemus. Mirandum utique! Pater hanc non viderat: neque patri de filio, in Brabantia vitam cœlibem actitante, quippiam innotuerat: [& quid filio factum sit patri sollicito indicat.] sed neque Virgo quemquam eorum noverat, sed in spiritu Dei utrumque nominat, de salutifera filii mutatione nova patri nuntiat, quem secundum carnem prius nosse debuisset. Porro cum is & alii plerique profundare secreta Domini quandoque laborarent, tamquam scrutatores majestatis opprimendi a gloria; respondebat: Nolite quæso mihi molesti esse, carissimi: nam de foliis quæ mihi dabit Dominus, caritate

fraterna me vincente, sæpius erogare compellor; sed radicem dabo minime: quasi dicat, Quod in verbis per modum fulguris coruscantis potestis accipere, gratanter sumite, sed arcana Dei profundius rimari, meque ad jactantiam aut arrogantiam provocare nolite.

[181] [ingenti lumine sæpe circumfusa invenitur:] Quoties autem Regem regum ab Apostolis, tamquam Senatoribus gloriosis circumdatum viderit, quoties Sanctorum societate fruita fuerit, scribere prolixitas operis vetat. Viderunt quam plurimi cellam Virginis tanto splendore sæpius repletam, ut etiam incendium illud putantes esse, cum tremore non modico properarent. Ceterum dum superfusa talibus luminibus Virgo radiaret, aspicientes timore concussi claritatem vultus ejus ferre non poterant. Interrogabant eam domestici, quomodo lumen illud ferre valeret, attento quod lumen naturale vel ad momentum vix sustinere posset, & respondit; Credite, inquit, credite, quod lumen gratiæ seu contemplationis divinæ tantum differt a lumine quod videmus, quantum minimus hujus solis materialis radius differt aut distat a pleno aut fontali lumine ejus. Nec miremini si lumen quodvis naturæ videre debilis oculus renuit, lumen autem cælitus datum minime: quippe qui finxit oculum hominis ipse novit, simulque offerendo lumen ejusmodi confert sine læsura visionis facultatem. Sicque nimirum videbatur præsentire Prophetarum eximium verbum quo dicitur, Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. [Ps. 35, 10]

[182] [pium Sacerdotem, sua taciturnitate tristatum,] Consuevit præterea sacra Virgo quosdam devotos, velut aquila pullos suos, ad volandum invitare: consuevit & armigeros Christi, velut vexillifera, ad pugnam animare; consuevit, maxime ante obitum, velut primiceria, athletas mærore dejectos, post labores strenuos, ad reficiendum convocare. Sacerdos quidam, puræ ac columbinæ



simplicitatis vir, familiaritate quadam tractus venit ad Virginem, ut ab ubertate domus Dei qua cernebat eam affluere, paulisper degustaret; atque de revelationibus ipsius, pro salute sua nec non & aliorum, certioraretur. Cumque amicos plurimos haberet Virgo, consiliarios autem paucos; noluit ad quævis simpliciter quæsitam responsionem præbere, sed meliori quo potuit modo virum simplicem ac bonum consolatum remisit. Qua de re Sacerdos ille contristari cœpit & anxari, timens ne forte sua incuria molestiam intulerit Virgini: unde statim coram altari Mariæ Virginis in ecclesia se prosternens, amarissime flere cœpit.

[183] Porro, quia post tempestatem tranquillum fecit Dominus, [solatur, eidem inter duos Angelos apparens,] illico factus est vir in excessu mentis, & vidit Virginem quamdam inter duos Angelos, tamquam alteram Esther inter adolescentulas, ad se venientem, quæ simul Antiphonam, Salve Regina, una secum decantabat. Itaque cum ad se quasi aliunde redisset, cucurrit indilate Virginem revisere, quam se offendisse formidaverat, nihil eorum quæ viderat aut audierat illi dicens. Verum cum Virgo mentem illius clarius cerneret, ait illi: Quid agis, Domine? nonne tristitia tua conversa est in gaudium? dicito mihi, Pater bone, ne silueris. At ille respondit: Fuistine illa, quam vidi nunc coram altari Virginis Mariæ prostratus, & quam una mecum psallentem audivi? Numquam, quam diu fui in humanis, tale quid mihi contigit, nec dulcedo spiritus ac mentis ita me replevit. At illa obmutuit pro tunc: sed in processu dierum districtius requisita dicere veritatem, [cum eoque Salve Regina decantans,] se illam fuisse, quæ sic inter Angelos ducebatur in jubilo, non negavit. O quam agilis spiritus Virginis, qui absentem indilate se sociavit! quam pervius & clarus, qui mentem alterius tam perspicaciter agnovit! quam pius ac clemens, qui mœstum ac desolatum tam suaviter lætificavit! & quam caritate & humilitate servatis,

in omnibus his, vel ad modicum ostentationi pedem non exhibuit!

[184] Mulier quædam continens & honesta, spiritu desolationis miserabiliter cruciabatur, [Mulierem desolationis spiritu vexatam,] quæ a nemine propter tristitiam excessivam poterat consolari. Crescentibus igitur passionibus, quo se diverteret nescia, consultis postea Presbyteris, putantibus atque dicentibus phantasma quoddam esse, requiem non invenit. Ad desperationem ferme perveniens, novissimam omnium consuluit & Lydwinam. Excepit igitur pia virago causam suæ pauperculæ dilectæ; atque ut viriliter ageret & confortaretur in Domino, vivacibus suadelis & admonitionibus fortiter animavit. Paucis igitur evolutis diebus, datum est utramque fieri mentis in excessu. Videbat utraque palatium spatiosum, miro artificio constructum; ubi harmonia mirabilis cantuum, ubi suavitas ineffabilis ciborum, ubi delectatio inæstimabilis quorumlibet odorum sentiebatur. [& secum pariter ad cælestia raptam,] Cœpit inter hæc mulier querulosa rursum, ut sibi videbatur, spiritus sui angustiam detegere; cœpit & Lydwinam Virginem, neglectis deliciis illis, denuo, ut consueverat, propulsare. Cui Virgo: Cessent lamenta tua, cedant querelæ, procul abeant passionum tuarum verbula: nam locus iste non mœroris est, sed solatii; non doloris, sed gaudii; non passionis, sed exultationis.

[185] Hæc itaque cum dixisset, duxit eam Virgo sanctissima in locum quemdam seorsum, [ineffabiliter recreat.] quem nihil aliud æstimare potuit, quam electuariorum condimentorumque regalium promptuarium, & reservatorium aromatum & pigmentorum totius universi. Tanta denique suavitate spiritus ibidem refecta est mulier, ut nedum angustiarum animi, quas hactenus passa fuerat, penitus oblivisceretur; verum

etiam ad se reversa, diebus aliquot vix cibum corporalem odorare dignaretur. Facta est exinde femina Virgini secretior, facta est ad suscipiendas posteras consolationes usitator, facta est ad militandum constantior, confortante eam Domino per oraculum Virginis benedictæ: Didicerat enim a sponso, de quo dicitur, Circumduxit eum, & docuit, & custodivit quasi pupillam oculi sui. [Deut. 32, 10] Nempe pluribus vicibus etiam ab aliis dilectis Dei amicis, per noctes, inter iscalares alas celestium militum, cum Paulo & Coapostolis; nec non inter puellarum choreas, cum Catharina, Barbara & reliquis Christi Sponsis, comitantibus eam, visa est: volatilia enim ad sibi similia convenire, protestatur Scriptura. [Ecli. 27, 10]

### ANNOTATA.

Quomodo unum idemque Virginis corpus, eodem tempore simul manserit in suo tuguriolo vivum, sed morbidum atque deforme & sensationum expers; itemque in istis locis sanum & ad quos vis motus membris omnibus expeditum; licet captum nostrum superet, non tamen superat fidem, qui ejusmodi supra naturæ ordinem facta in Sanctis, aliis novimus, & cum admiratione credimus.

### CAPUT IV.

De consolationibus quas a gloriosa Matre Dei suscepit, & de gratia lactis in nocte Nativitatis concessa.

[186] Sane quid miraculi circa ipsius Virginis Matris imaginem, quæ diebus istis advenerat in Schiedam, advenerit, quando parvula Lydwina nostra salutationem Angelicam coram dicta imagine dicere cœpit; [Curiositate Confessarii, in ejus cellam se abdentis,] quam simplici aspectu tenella virguncula Virginem Mariam quodammodo sibi arridere dixerit, simplex sermo

noster superius expressit. Sed & hoc quantillum adjicere curabo, quid in diebus probatæ virtutis Dominus circa sponsam effecerit, quidve signanter acciderit de Virgine Maria circa Lydwinam propalabo. Superveniente quadam solennitate, circa meridiem, rogavit Virgo Confessorem suum ceterosque, tamquam divinæ consolationis avida, quatenus per trium horarum spatium se solam in pace relinquerent: sperabat quippe, more solito, sui Angeli relevari præsentia; quem, dictante sibi spiritu, quasi in januis æstimabat. Illis igitur abeuntibus, latenter Confessor ejus rediens, in quodam locello cubiculi se abscondit, Angeli præsentiam oculis carneis videre præstolans, quem sæpius ex confessione Virginis adventare perceperat. Cum autem illa solam se illic æstimaret, cœpit, uti consuevit, Sponsi beneficia revolvere; cœpit precibus & obsecrationibus Dominum pulsare; cœpit ad relevamen pœnarum suarum, quasi paranympum, Angelum suum invitare.

[187] Et circa primam horam post meridiem advenit Angelus, [a familiariori Angeli visitatione impedita,] & appropians lectulo Virginis ibidem stetit, nec velut nudius-tertius propius accedere voluit. Quod cum illa videret, conturbata est anima ejus, timens ne vel in aliquo Dominum offendisset; moxque amare flere cœpit, & dicere: Quid est, frater mi, quod mihi differs approximare? cur benignum vultum tuum plus solito distrahis? An culpam commisi, ob quam te mihi placatum jam minus habeo. Et Angelus ad eam dixit: Nequaquam culpa tua fit, ut tibi non appropiem; sed potius illius, qui latet in cubiculo, mei circa te præstolans experimentum. Et eo dicto, disparuit. At Virgo, tamquam fraudata pane suo, magis conturbata, [meritoque ob id dolens;] flevit amarius. Porro cum sic deploraret, confusus Confessor ejus surrexit, culpamque humiliter cognoscens, se talia nullatenus facturum promisit. Videns autem Virgo quoniam ipse foret, qui consolationem Angelicam sibi sua

præsentia præpedivisset, amarissime tertio flevit, dicens: Quid est, o Pater, quid fecisti mihi? Numquid & ipse titubas? An & experimentum ejus quæris, qui me sua præsentia gratissima solitus est consolari? At ipse nesciens quid diceret, verecundus non mediocriter, præ mæstitia cordis confestim abscessit. Quid mirum si famelica, si crucifixa, si languida, turbata est? quoniam parvula petens petivit panem, nec aderat qui porrigeret ei: insuper & qui pater erat animæ ejus, sua curiositate viam præcluserat, suaque sensualitate sauciarat.

[188] [haud diu post rapitur ad Cælestium ordines,] Factum est autem post tribulationem illam, ut Dominus in tribulatione proventum faceret in hunc modum. Rapta est enim, velut pridem ac nudius tertius, coram altari Beatæ Virginis, super quod prædicta imago erat collocata; demum per locum pœnarum traducta; postremo ad Sanctorum acies, Angelo ducente, perventum est. Vidit itaque decorum illum aspectum quorundam venerabilium Patriarcharum, vidit veridicum Prophetarum numerum, vidit gloriosum Apostolorum chorum, vidit Martyrum candidatum exercitum; vidit & ibidem sanctorum Anachoretarum, famosorum Doctorum, reverendorum Pontificum cœtum copiosum, vidit consororum Virginum vernantissimum collegium, insuper millia millium laudantium atque jubilantium coram Domino, sic rapta contemplabatur. Tot & tales ibi fuerunt deliciæ, ut nullatenus postmodum vel minimam partem sufficiat eructare. [qui ipsam animam ad patientiam.] Et ecce nonnulli de Sanctis Virginem ad patientiam & tolerantiam exhortari cœperunt, eorum maxime quæ passura erat in futurum. Quid, inquiunt, nunc mali patimur, qui quondam pro Christo in terris tantum sustinuimus? quid nobis obsunt pristinæ passionēs, pro quibus in infinitum Christi nunc consolationes accipimus? & si per ignem & aquam transierimus, jam, ut cernis, educti sumus in refrigerium.

[189] Interea dum sic a civibus Hierusalem celestis confortaretur, [tum apparens B. Virgo semel,] vidit supervenire Dominum Angelorum & Dominam mundi, quæ dixit ei: Carissima filia, quomodo tam inculta sine velo capitis huc venisti? Cui Lydwina: O gloriosa Domina & speciosa Mater, ipsa nosti quia ductor meus huc ita me conduxerit: ipsius imperio sto, suo jussu ultronea appareo, neque aliter velle quam ipse velit qualitercumque præsumo. Rursum quæsivit ab ea gloriosa Mater Maria dicens: Visne caput tuum operiri capitegio, quod fero in manibus? At ipsa pavida nimis respexit ad ductorem suum, hæsitans quid foret responsura, ne forte delinqueret propria voluntate freta. Tandem cum Regina cæli Maria id tertio repeteret, humiliter respondit: Domina meo, nullam hic debeo habere voluntatem. Tunc dixit ei Angelus ejus. [iterumque, imponit capiti ejus peplum,] Si vis habere illud, accipito. At illa magis timens, oblatum munus habere poposcit: sed ob sui ductoris verba quæ audierat, magis ac magis acceptare pertimuit. Cum corporaliter ad se reversa foret, ecce gloriosa Domina cum multitudine Virginum, capitegium ipsum tenens in manibus, apparuit juxta eam, & dixit: Sæpius, o carissima, te interrogavi si velis hoc habere velum, & propriam noluisti super eo voluntatem indicare: ecce quia jam cum capitegio ipso caput tuum tegeo: quod cum e coelo venerit, septem horis dumtaxat morabitur supra terram. Tu autem dabis illud Confessori tuo, cui dices, ut fidem det amodo gratiis Altissimi, & super imaginem nominis mei, quæ veneratur ad Borealem partem in parochiali ecclesia, ipse reportabit. Et his dictis disparuit.

[190] Porro cœpit Virgo Domino gratias agere: quibus finitis manum ad caput remisit, [quod post horas 7 imagini D. V. jussus imponere Confessarius,] & capitegium desuper allatum, cujus esset substantiæ ac formæ consideravit. Cum ruminasset ea quæ viderat in sanctis

cæli choris, appropinquassetque tempus quo peplum remittere juxta Virginis Mariæ imperium cogeretur; misit in ipsa hora noctis ante diluculo pro Confessore suo, cunctaque per ordinem, ut facta fuerant, indicavit ei. At ille, ut vidit & palpavit, quod Virgini concessum fuerat peplum, admiratus est: videbatur autem peplum ipsum crispum, cærulei coloris, medium tenens inter album & viride, texturæ imperceptibilis, domum totam replens præ suavitate odoris. Instante quidem ultima hora de septem, rogavit Virgo Confessorem, quatenus indilate sæpe fatum peplum super caput imaginis deferre dignaretur: & quia nondum dies illuxerat, caussabatur Confessor ipse cum ea dicens: Nimis tempestivum est, & locus imaginis Mariæ altus nimis & difficulter accessibilis. At illa respondit, Dominus providebit, Pater mi, de ingressu; & scalam ad Aquilonarem partem ecclesiæ invenies. Quapropter deprecor te nunc, ne explere, quod cupio, pigriteris.

[191] [omnia ad hoc requisita invenit ex insperato,] Mirum dictu, egrediente viro domum, confestim claviger ecclesiæ, custos videlicet, occurrit ei: similiter ei ad manum, ut dictum erat, scala reperitur in ipsa plaga Boreali: quam statim ad altare Virginis ponens, peplum ipsum supra caput imaginis dimisit: quod per Angelum raptim sublatum est. Campanarius autem ecclesiæ, cum ignoraret mysterium, & Sacerdotis ipsius in scandendo & descendendo ministerium adverteret, dixit: Quidnam quæso novitatis est, ut imaginem Mariæ diluculo cum scala visitare volueris? Qui respondit: Nescis modo, scies autem postea. Liquet igitur secundum veritatem Scripturæ, quoniam felix & incoinquinata, nesciens torum in delicto, donum electum acceperit de manu Reginæ, & sortem acceptissimam in choris puellarum Domini. [Sap. 3, 13] Nihil revera videbatur esse in terris quam soror Angelorum, collactanea Virginum, socia Martyrum, discipula Apostolorum, pedissequa Reginæ cælorum. Siquidem in suis meditationibus quasi corpore & spiritu

præsentialiter offeret, [ipsa marianis mysteriis pientissime affecta,] cum lactante lactabat, cum gestante gestabat, cum exulante exulabat, cum dolente dolebat, cum quærente quærebat, cum stante sub Cruce stabat: hoc enim erat Virgini salubre solatium, hoc ejus felix contubernium, hoc & spirituale obsequium, hoc & socialis familiaritatis insigne. Quid gratius offerre potuit matri Virgini Virgo Lydwina, quam se gerulam & pedissequam crucis ubilibet promptam exhibere? Quid Mariæ decentius, quam pedissequæ suæ se benevolam in gaudiolis hujusmodi ostendere? Quid utrique apud Deum acceptius, quam post multiplices affatus pariter & attactus, divinorum charismatum devotulis filiis micas, cadentes de mensa Dominorum, dividere? Quam sedula in officio ista, quam benefica in beneficio illa, quam munifica utraque fuerit, sequens miraculum enucleabit.

[192] Sane cum sacro Adventus Christi tempore, Virgo nostra Lydwina se novis exercitiis renovare meditaretur; contigit quamdam viduam, nomine Catharinam, per visum commoneri, quatenus ubera Virginis, [fatetur ubera sibi lacte replenda in nocte Natalis Domini;] cui quandoque obsequebatur, sub ipsa nocte Dominicæ Nativitatis lacte replenda forent; & ut sorbitiunculam exinde petitura, nullatenus pigritaretur accipere. Surgens igitur mane vidua, Virginem secreto aggreditur, dicens: Ecce, carissima Lydwina, ne negaveris obsecro veritatem eorum quæ dictura sum tibi. Nocte quidem hac clara voce sic & sic commonita sum, venire ad te, in ipsa Dominicæ Nativitatis festivitate: quoniam, cooperante Domino, tua ubera lacte replebuntur. At Virgo perhumilis admirari cœpit & obstupescere, quia viduam hanc multum anhelare sciebat ad sciendum secreta, quæ Dominus in ea indies operabatur. Qua ex re primum subticuit: tandem tamen verbo Dei, quod nec falli nec fallere novit, victa respondit: Observa igitur noctis illius sanctissimæ



secreta silentia, debitum mentis adapta palatum, ut promissi tibi muneris particeps efficiaris, & sorbitiunculam quam optas consequaris.

[193] Advenit igitur optatus plurimum electis dies Nativitatis, [prout eadem hora qua Virgo Dominum peperit,] in cujus nocturnæ quietis silentio se totam ad contemplandum Dominicæ Incarnationis sacramentum mancipavit: cumque nutu divino raperetur ad Virginum collegia, vidit illic gloriosam puerperam Mariam, cum innumerabili multitudine sacrarum Virginum, laudes & hymnos ineffabili harmonia psallentium, quibus nullus nullave Sanctorum ceterorum conjungi videbatur. Sedebat, ut videbatur, & ipsa Virgo in medio earum, tamquam omnium pulcherrima regina; puellum habens in gremio, quemadmodum & olim in diversorio reclinatum. Quale gaudium, qualisve illic jubilatio, nec lingua potest dicere, nec animus exprimere: solus autem qui accipit, solus qui diligere ferventer novit, solus qui degustat potest reserare. In eadem siquidem hora, omnium Virginum ubera lacte plena turgebant, [ipsi & aliis Virginibus Beatis evenit:] sicuti & ipsa gloriosa mater Domini plena superno munere extitit in ipsa nocte Nativitatis Domini nostri Jesu Christi. Erant & ubera Virginis sacerrimæ, videlicet Lydwinæ, lacte plena cum ceteri: sed ad tempus modicum, scilicet per horam duratura. Ob hoc autem rogavit Virgo Angelum ductorem suum, quatenus promissi sui non immemor, viduam sibi adeo pie molestam non fraudaret ab intento. Cui mox Angelus respondit: Noli, dilecta, sollicita esse: nam ad horam privata es: sed favente Domino, qui lac primum dedit, dabit equidem & secundum. Dum venerit vidua, sugendi gratia de lacte tuo, id solum facies, videlicet quod papillam uberis tui læva manu confricabis, & illico replebitur lacte verissimo.

[194] [post quod consciæ hujus secreti viduæ] Proinde cum silentium tenerent omnia, & tertia vigilia noctis esset; properavit argumentosa vidua invisere Virginem, quam abundare credebat lacte, ubere de cælo pleno. Cui statim Lydwina, præmissa oratione, secundum imperium Angeli, papillam confricare studuit, & plenitudine lactis turgere cœpit. Bibit igitur vidua tertio attractu de plenitudine uberis illius, quantum honestius trahere potuit; tantaque plenitudine remanente, ut unum uberum ad modicam compressionem, [idem lac sugendum datur,] velut unda exuberans exitum præstolaretur. Erat autem ejusmodi lac tam vigorosæ dulcedinis, ut etiam eadem vidua vix tempore multo ad consuetos naturæ cibos se posset conventere, nisi districto Virginis ipsius mandato devicta. Suscepit & aliis vicibus Confessor suus D. Ioannes Walteri, similem gratiam de quibus in scriptis suis, manu propria notatis, plenius commemoravit. O vere magna Virginis ad Virginem Matrem devotio! o vere efficax meditantis exercitatio; quæ in corpore vermiculoso, corroso, lacero, sed virgineo, tanti lactis copiam promeruit, & viduæ sterili pro potu lac cælicum propinavit. Scriptum est autem. Et erunt Reges nutricii tui & Reginae nutriciæ tuæ. [Is. 49, 23] Hanc igitur inter adolescentulas Regis locum habuisse non dubito, inter concubinas magni Salomonis domum possidere non dissentio, ac inter regias nutricias thalamum accepturam non diffido.

## CAPUT V.

De gratia sublimis contemplationis ejus & intelligentiæ, ac de spiritu prophetiæ clarissimo.

[195] [Abrepta a sensibus non percipit sibi latus aduri:] Mirabilis Christi virago tanto frequenter suspendebatur contemplationis excessu, ut supra humanum sensum feliciter rapta, quid forinsecus in membris ejus ageretur

interdum ignoraret. Quodam namque tempore stridentis algoris, accidit ut felicissima femina testam, prunis ardentibus plenam, ad latus haberet: qua sic incaute relicta, vis ignis carnem lateris ad costam usque combussit. Cumque casu venissent ad eam domestici domus ejus, pavore percussi dixerunt: O Lydwina, persentisne quia te cremavit ignis? Quæ quasi in remotis egerit, respondit: Ignem, carissimi, non vidi, neque calorem ejus sensi: verumtamen latus meum jam persentio. Et dicunt ei: Peccavimus in Deum & in te, soror, quoniam nedum cutis & caro igne crematæ sunt, sed & unam ferme costarum tuarum vis ignis adussit. Benedictus, inquit, Altissimus, qui me adeo perunxit interius, quod ardorem ignis non persenserim.

[196] [illitterata quamvis penetrat mysteria scripturarum:] Percurrebat Virgo, spiritu subtilis & agilis, regionem illam sublimem quæ plena deliciarum est & divitiarum Domini; ubi ratio sine obscuritate, ubi memoria sine oblivione, ubi intellectus sine errore omnia concipit & discernit. Attigerat autem famula Dei per Passionis meditationem, ac contemplationis assuefactionem, nec non & singularem influxum divini spiritus, tantam mentis serenitatem; ut quamvis magistro medio litteras aut Euangelium non didicerit, illustratione tamen mentis internæ Euangeliorum & multarum Scripturarum aliarum mysteria profundans penetraret. Erat ei (quemadmodum ab aliis accipi) memoria tenax pro codice, intelligentia vivax pro solertia, affectus purgatus pro limpido discursu, septiformis unctio pro magisterio, practica patientia pro continuo exercitio, liber vitæ pro gradu doctorali: dicit enim Scriptura, Beatus homo quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum. [Ps. 93, 12] Sentire de Domino in bonitate didicerat, & illum per patientiæ sanctæ suspiria quærere cum simplicitate.

[197] Quidam Ordinis Prædicatorum & sacræ Theologiæ Professor, diversos diversimode de Lydwina nostra, more hominum, loquentes audierat: cujus spiritus requiem capere non valebat, [adjurata, explicare modum Incarnationis a tota Trinitate factæ,] donec ipsammet cognosceret & videret. Cumque de Trajectensi diœcesi veniens mansiunculam Virginis reperisset, conferre cœpit de variis. Tandem autem ad scrutandum radicem intelligentiæ Lydwinae famulæ Christi curiosius perventum est. Quæso te, inquit, o Virgo, dicito mihi formam, qualiter videlicet a tota Trinitate benedicta facta fuerit Incarnatio Filii Dei solius in utero Virginis Matris. Cui profundissimæ humilitatis Virgo, philopompas & altas materias coram doctis tacere solita, excusationem, prout potuit, objecit. Quam litteratus ille moleste suscipiens, aspero verbo rursum aggreditur. Adiuro te, inquit, per tremendum Dei omnipotentis iudicium, quatenus omni simulatione sublata, si veritatem noveris quæstionis hujus, dicere non tardes. Audiens autem illa tam efficax invehendi genus, pertimuit; & tacta dolore cordis intrinsecus, lacrymari fortissime cœpit; & præ redundantia lacrymarum, proponentem suum etiam ad compunctionem permovit.

[198] [aptissima id facit similitudine,] Resumptis igitur utcumque viribus, cum pudore multo hanc in sententiam Virgo prorupit: Ad respondendum, inquit, Pater mi, tantæ quæstioni, talem mihi piam similitudinem, a salva correctione, ante oculos constituo. Assumo mihi corpus solare, ex quo tres condistincti prodeant radii, qui in unum radium per unionem sunt redacti. Circa ipsum corpus solare radios hos latos imaginor, in extremitate tendentes ad conum seu radium acutum, ad modum lanceæ indivisibiliter & impartibiliter terminantes, & in eodem acumine radii cujusdam domunculæ interiora penetrantes. Ceterum per solem, pro præsentem capio mihi superbenedictam Divinitatem; per trinos vero radios e sole prodeuntes, operationem trium Personarum, ad

istiusmodi Incarnationem efficiendam, intelligo; per unionem autem trini radii in unum radium, sane sumo inseparabilitatem operationis trium Personarum ad Incarnationem prædictam; acumen vero trium radiorum, sive radium acutum ex tribus conjunctis radiis prodeuntem, quantum est pro nunc, appello Personam Verbi sive Filii, Incarnationem terminantis, cujus tamen Incarnationem effective tres Hypostases vel Personæ, impartibiliter aut indivisibiliter, sunt operatæ: cum autem domunculam ipso radio penetrantem dixerim; per hanc, plane invisibilem & transplendidiserum introitum Filii Dei capio in uterum Virginis, de cujus purissimis sanguinibus sibi portiunculam sumpsit, quam salva unitate Divini suppositi ineffabiliter cœnivit.

[199] Quibus auditis, doctissimus hominum stupore & admiratione adeo repletus est, [petique, sed frustra, rem haberi secretam.] ut coram multis patulo cum conscientia diceret, se numquam a Doctoribus tam appropriatam metaphoram audivisse. Virgo autem cum hæc dixisset, rogavit instanter virum, ne cuiquam revelaret; sciens quod latere securius est quam per ostentationem patere; insuper quoniam unus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes. Quanto tamen Virgo virum adstringere molita est, tanto diffusius totam super responsis ejus replevit terram: quinimo ubilibet locorum factus est adversus detractores Virginis vivacissimus defensor & advocatus; qui prius accesserat, ut inquisitor suspiciosus, non rogatus. Nec opponat aliquis in Virginem dicens, Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus, ait Baptista Ioannes. Nempe satis indignam se Virgo protestata fuerat: sed admodum importuna viri adjuratio contremiscere fecit omnia viscera ejus; siquidem & ad respondendum Pontifici Cayphæ, quamvis immerito, tamen adjuranti, spontaneum se Christus obtulit. [Mar. 1, 7]

[200] Mirandus certe & proculdubio admirandus in Dei famula claruit spiritus prophetiæ, [mulierem, cui virum emendandum promiserat,] ita ut non solum se absentibus præsentem, ut superius tactum est, exhiberet; sed in veritate futura prædiceret, cordiumque scrutaretur arcana: absentia quoque, tamquam præsentia, luculentissime contueretur. Mulier quædam virum, Nabal duriorem, habuit, totique domui suæ ferocissimum; adeo ut nec quemquam domesticorum Deo famulari pro libito, nec uxorem tranquillam agere curas permetteret etiam in secreto. Veniens igitur hæc ad domum Virginis, pro viro ad Dominum Virginis preces ferventer poposcit; quatenus Deus sua clementia lupum vertat in agnum, quem tamquam belluam in domo sustinebat. Ad quam Lydwina, Sustine, inquit, patienter: melius enim tibi succedet. Quid plura? succedunt dies diebus, fiunt novissima pejora prioribus, verbis verba, verberibus verbera cumulantur: quærit femina mortem, nec invenit; suspendii vicem molitur, nec accipit: tandem autem in portum oppidi se mersura, diabolo instigante, cucurrit. Cumque celeri cursu sic desperata curreret, [tandem in desperationem actam,] affuit spiritus alius qui currentem gradum sistere compulit, atque hunc in modum suggerendo miseram feminam intra se loqui coëgit: Toties, inquit, o infelix, Virginem visitasti, & eam tam benevolam sæpius experta es: utique jam videbis illam, priusquam moriaris. Sicque paulisper cæpit conterere caput draconis, ignorans tamen quia bonus Domini spiritus faceret hæc.

[201] Cumque Virgo mulieris amaritudinem lynceis oculis mentis perspiceret, & illa cursim ad ostium domus, [jubet redire ad virum,] quasi valedictura percuteret; clamavit Virgo domesticis suis dicens: Surgite velociter, quoniam quædam ad ostium venit, cujus anima in amaritudine est. Ut ergo intravit mulier, prostravit se brachiis supra Virginis lectulum, vix superstitem habens spiritum. Cui Lydwina: Quid habes? rectene agitur inter te & virum

tuum? At illa respondit: Quomodo tu quæris hoc? quia mortem quæro, & vivere non libet amplius. Tuo consilio sustinui: in verbo tuo verba & verbera tuli: ad mortem jam propero, quia vitæ hujus miseras cum viro transire non propono. Cui rursus Lydwina dixit: Redi quæso, carissima, ad virum tuum, redi ad lectum; incunctanter id credens ex parte Dei omnipotentis, quia numquam amodo talia ibi cum viro tuo sustinebis, [ipso momento mansuefaciendum.] quinimo pacem tibi futuram denuntio. Credidit mulier impatiens sanctæ mulieri, benedictioneque accepta rediens in domum suam, virum in lecto dormientem reperit; atque juxta latus ejus, juxta mandatum Virginis, obdormivit. Novum dixero. Cecidit super virum nocte illa spiritus Domini, & mutatus est in alium quodammodo, nec solum dixerim in alterum. Nempe tam mirabiliter dexteræ Dei virtute mutatus est, ut quasi ex veteri novus, ex lupo agnus, ex leone mansuetur vitulus, non sine cunctorum qui virum noverant admiratione, putaretur: salvatus est enim omni fera crudelior, per mulierem fidelem, in die illa.

[202] Religiosus quoque Ordinis devotorum Canonicorum in Schonhovia, valde dilectus Fratribus suis Concanonicis, [Priori Schonhoviensi Religiosum tentatum,] quasi novellus e seculo tirunculus, juxta nequissimi hostis consuetam rabiem, amaritudinibus & gravaminibus adeo vexabatur, ut vivendi sibi omnino spes, & perseverandi sub regulari vita deesset fiducia. Conquestus autem nonnullis, quos suæ salutis zelosos autumabat, verba consolationis plerumque accepit: sed quoniam cruciatus hic non cito curatur verbo, sed constantia fidei simul & perseverantia mentis; crucifixus ipse interius, alios confratres suos exterius ad compassionis lacrymas pluries attraxit. Prior autem, timens Deum animarumque zelotes, a quo & hoc intellexi, Nicolaus Wit nomine, cum videret virum tabescere, quid facto opus sit diutius deliberavit. Formidabat siquidem viri fortis & juvenis recidivum,

deflebat animæ periclitaturæ damnum, [ac paene desperatum ad se ducenti,] providebat amicorum opprobrium, quinimo ex consequenti scandalum pusillorum magnopere metuebat. Quid vagor per multa? Fit recursus ad Virginem, ducente dicto Priore Fratrem secum ad anteriora domus suæ. Erat autem eo tempore sub flagellis Domini, mirum in modum vi calculi cruciata: quapropter Priori mandavit ut solus ad se veniret, ceteris foras dimissis, attento quod pro tempore illo frequentiam a multitudine hominum nullatenus tolerare valeret.

[203] [nomen & causam ejus ultro indicat Virgo,] Accessit igitur vir venerabilis, absynthio paternæ compassionis respersus, eo quod videret vas sanctificationis, examinatum & purgatum septuplum, sub manu conflatoris sic pœnitentialiter iterum ad limam redigi coram se atque compoliri. At Virgo videns eum, ait: Carissime Pater, vides quod me circumdent dolores & pœnalitates multæ, ob quos modicus in præsentiæ ad te sermo: sed quia in verbo te prævenerim, quæso veniam impartire, quia cruciatus me coarctat anticipare sermonem. Frater tuus, quem socium huc duxisti, a Domino nunc in fornace tentationis graviter probatur: sed suade illi ut patienter sustineat, nam in brevi liberabitur: fiat tamen oratio instanter pro eo ad Dominum, nam magna est illi præparata gratia, & præmium in cælo maximum. Cumque pius Pater Nicolaus audivisset hos sermones, [ac perseveraturum prædicit.] resedit attonitus, eo quod nomen Fratris, qui erat causa sui adventus, ab eo audivit; insuper & in extremis doloribus illis calculi, sanam mente & futuræ consolationis præ sagam fore percepit. Post hæc Virgo Patrem licentians, ait: Vale, Pater carissime, & tuarum orationum participem me facito: Fratrem vero tuum in virtute sanctæ patientiæ stabilire curato. Et qui audivit mihi dixit hæc, atque sic per ordinem postea in Fratrem factum, ut Virgo prædixerat, proprio testificatus est scripto.



[204] [devotum sibi nautam] Contigit quoque mercatores terræ illius, magnum apparatus navium facere navigandi gratia, uti communiter assolent in partes Orientis: erat autem inter illos nauclerus industrius, præter assuetum nautarum morem Deum usquequaque timens, & ob hoc Virgini familiaris: consueverat enim, navigaturus ad remota, se precibus Virginis commendare. Sociis autem in die festo convenientibus, solus hic, consulturus Virginem, ab aliis se retraxit. Cumque illi plurimum instarent, ut simul statuto die festi portum exirent, Lydwina, judiciorum Dei non ignara, [prohibet die statuto cum aliis solvere,] dilecto sibi amico per internuntium denuntiat dicens: Hæc dicit Lydwina, ne quovis modo fluctibus maris te cum ceteris committas, nisi prius ei valefeceris, quemadmodum consuevisti heri & nudius tertius. Venit igitur vir, sed propter decretum sodalium suorum satis invitus, & ait: Nolo, dilecte mi frater, jam repulsam pati ea de re quam petitura sum. At ille: Pete quodvis. Peto, inquit, cordintime, ne die statuto per socios tuos te mari exponas, certam ob causam mihi notam, quam tempore suo haud dubium experieris.

[205] Cumque ille multa in contrarium, præsertim solitudinem sui & multitudinem aliorum, allegaret, rursum dixit ei Lydwina; Crede mihi, carissime, viam cum aliis ne coeperis: & quamvis solus relinquaris, Dominus tecum erit, euntemque ac redeuntem prospere sua pietate te comitando reducet. Obstupuit igitur nauclerus discretior ceteris, [quos ab hostili classe obruendos præsciebat.] & decretum diem præteriens, aliis prænavigantibus cum gaudio atque subsannantibus, tristis solus domum recessit. Miserunt se in mare ceteri commilitones, relictum socium in terra convitiis & derisionibus subsannantes. Tradunt rates vento, prospere cuncta succedunt: sed optimum initium pessima, ut ita dixerim fortuna subsequitur. Supervenerunt piratæ commissuri navale bellum, periit omnis illa classis, partim gladio,

partim naufragio, partim in captivitatem redactis nautis & armigeris. Vir autem nauclerus, quamquam mœstitia suffusus, secutus est socios; & flantibus ventis piratarum quorumlibet evasit pericula, marisque lectis fluctibus ad terminum optatum pervenit; prosperatusque, cum mercimoniis & lucris multis gaudenter remeavit. Patet igitur qualis apud Deum perspicacitatis nostræ speculatricis fuerit anima, cujus sano consilio, pereuntibus ceteris, hic solus salvus transfretavit & ditatus rediit ad propria.

[206] Mos erat ancillæ Dei, ut alias dictum est, instar Aaron, inter vivos pereuntes & mortuos, [post prædictum patriæ incendium] coram Domino se mediam ponere, frequenterque coram secretioribus suis verbum speculatricis in medium proferre, Quia ira Domini super Schiedam; ira Domini super Schiedam. Porro cum videret, quod implacabilis esset ira Domini, & maturata foret iniquitas populi terræ & messi proxima, vocatis ad se quibusdam dixit: Ecce quia rogavi pro populo nostro: sed cum multa flagella Dominus infligere sua justitia vindice decreverit, hoc solum in ira sua misericordiæ suæ signum super nos ostendere dignabitur, videlicet quod incendium patiamur. Et quidem ob hanc causam ad se vocari fecit mulierem quamdam Catharinam nomine, [convicaneis receptaculum præparat,] quæ cum nova aptari fecisset ædificia, asseresque aliquos sibi reservasset, dixit ei: Asseres quos superfluos retinuisti, transferre retro domum hanc ne pigriteris, de quibus pauperculis convicaneis reservaculum fiat, in quo futuri incendii tempore, aliqua suppellectilium suorum valeant reservari. Quod & factum est. Instante vero die incendii, Catharinam prædictam ad se vocatam, ita alloquitur: Scio quia votum peregrinationis de visitando Beatam Virginem in Busco-Ducis emiseras, jamque congruum tempus est eundi illuc, cito reversura. [amicam mittis peregrinatum,] Dixit ad eam Catharina: Cur in alienam urbem me ituram peregre

suades, cum incendii conflagrationem in propria futuram prædixeris? Cui Virgo Lydwina: Fac quod dico confidenter, ne vacilles; Dominus enim quod melius est providebit. Jvit igitur mulier & rediit, domumque suam prorsus in cinerem redactam invenit.

[207] Flevit mulier ob damna rerum, flevitque ob domus suæ incinerationem: ex qua re Virgo quantocius accersiri fecit desolatam dicens illi: O caput, caput, diu optasti quatenus in domo una simul commoraremur, [negat flammam ad suam domum perventuras.] jamque mecum commorari compelleris, nec amodo separabimur unquam, nisi superveniente morte: ea propter confortare in Domino, & æquanimiter gratias age. Manserunt exinde simul in una domo, ut dictum est. Nec de memoria lectorum hic præterire velim, quod in ipso tempore incendii nostræ sacræ Virgini contigit, notandum valde. Cum enim ubique vis incendii diffunderetur, & ipsi convicanei sui sua quæ poterant lectisternia retro domum Virginis reservanda cogitarent; convenerunt quidam simplices ad tollendum asseres de camerula Virginis, ut superius tactum est, eadem causa videlicet, ut liberarent eam de medio flammarum quæ proximabant. Quibus illa dixit: Sinite me, carissimi, jacere sicut hactenus jacui: omnino ignis nocumentum mihi non inferet. Non obstantibus verbis istis & aliis, ex pietate, ipsa remanente, abstulerunt asseres. Sed de hoc nihil ad præsens dixerim; sufficiat quod evenerit quod illa prædixerat. Nam attestante Sapiente, Anima justi enuntiat vera magis, quam septem circumspectores, sedentes ad speculandum in excelso. [Ecli. 37, 18]

[208] [duellum impediendum cognoscit.] Contigit etiam quodam tempore ut duo militares, diabolo zizaniorum procuratore satagente, commissuri essent duellum: mater autem unius eorum anxia pro filio, plorans & lacrymans venit ad Virginem, dicens: Filius meus duellum

commissurus est, orate pro eo, Lydwina. Cui Virgo: Noli frustra pro filio tuo cruciari, quia Domino concedente nullum patietur periculum. Et quidem disponente moderatore cordium, redactum est odium in osculum, gladius in poculum, rumor in silentium, duellum in pacem. Haud dubium quin disciplina pacis utriusque super dorsum Virginis ampliata fuerit, rogantis ea quæ pacis sunt Dominum omni tempore.

[209] Tempore quodam pestilenticæ cladis, contigit Virginem in duobus locis corporis a Domino præ ceteris consignari. [Peste laborans,] Porro cum desideraret sacram Eucharistiam, Curatus, de quo supra dictum est, trepidus præ timore mortis, ad illam venit; & quasi pestis contagium sibi per odoratum anhelitus Virginis adhærere deberet, nares & os sollicitus obturavit. Quod cum illa vidisset, ait: Non est is morbus, o Pater, cujus attactu vel odoratu tu vel aliorum quisquam infici debeat per me: nam opus Domini est, & non hominis aut naturæ, quo me gravari plus solito consideratis. At ille confusus, obmutuit, & tandem ficta sibi audacia dixit: Utinam Lydwina tamdiu vivam, quousque finem tuum videam. Cui mox Virgo respondit: Meum finem non videbis, [edicit Curato suo, eum prius moriturum,] Pater: ego potius tuum videbo: quamobrem te precor, disponere domui tuæ, sicut volueris moriens coram Domino comparere. Ille vero quemadmodum consueverat, attrita fronte sprexit eam, sed postmodum experimento didicit, a Domino percussus, quod noluit intelligere a Virgine sanus.

[210] Paulo post igitur humiliatus est superbus, & recordatus est verbi quod sibi Virgo prædixerat: unde misso nuntio cuncta sibi indulgeri, quæ suspiciosus atque malitiosus pridem intulerat, [& injuste possessa restituere monet:] humiliter poposcit; nec non ut pro se intercedere dignaretur efficaciter, exoravit. At illa, cum audisset eum infirmari, morituro condoluit; verbisque pacificis ad eum

remissis, salutavit eum dicens: Obsecro, Domine, quatenus puram confessionem facias, & aliena quæque restituens, seriose singula negotia domus tuæ disponas: nam morieris tu, & non vives. Audiens autem hæc iratus, tamquam aspis surda, obturavit aurem suam, ne forte audiret vocem incantantis sapienter: sed & quantocius remisit virum, qui diceret ei: Nihil mihi conscius sum de alienis bonis, sed neque quid restituere debeam agnosco. Cumque Virgo virum excæcatum animadverteret, rursus misit qui nuntiaret ei particularius, [sed frustra.] quæ & ubi forent illa bona, quæ quamquam ut sua tenuisset, minime tamen sua recto Dei iudicio forent, etiam in veritate. Verum cum ipse minus saperet, minusve intelligeret ac novissima provideret; consilium Virginis vertit in venenum; precem ratus est contumeliam; gratiam injuriam sensit; sicque mortuus est. Qualis autem & qualiter post hæc defunctus visus est, novit Altissimus, cujus iudicia abyssus multa, & cujus interest reddere unicuique juxta opera sua.

[211] Vir alius, dictus Ioannes Angeli, Curatus ecclesiæ Schiedam, prædicto viro innominato in Cura successit, & ipse natione Hollandrinus. Hic cum mitior haberetur moribus, plures in verbo veritatis attraxit ad confitendum sibi filias, e quibus una specialiter indies frequentabat Virginis domum, [alteri, cui de mira apud eam suaveolentia dictum erat,] & ipsa quidem devota valde. Cumque defixis in eam luminibus frequentantem Virginis domum cerneret, admiratus plurimum, dixit: Quid est, filia, quod quotidie domum languentis Lydwinæ frequentas? Quæ sic sæpius ab eo molestata, tandem respondit: Miror te, inquit, virum prudentem & circumspectum, Confessorem Virginis esse, & ipse non experiaris aliquando, quod ego ipsa in ea experior quotidie. At ille: Quæ sunt illa, quæ tu sic experiris? Et ait mulier: Si scires donum Dei, quod ego quotidie apud Virginem experior, crebrius visitares eam, quinimo

difficulter ab ea separari valeres. Cui Curatus; An in somnis hæc audio, an in veritate? At illa dixit: Observa mane diluculo manum ejus, dum audis confessionem ipsius, & senties quæ tibi dico.

[312] Observavit igitur dictus Curatus signatam sibi horam, & audita confessione Virginis, poposcit sibi dari manum: [ejus experientia capto,] quam quasi celestibus unguentis delibutam odorans, clamare cœpit & dicere, O vasculum Spiritu sancto repletum! o divinorum unguentorū reservaculum, quare hujusmodi visitationum Domini gratias, usque in præsentem diem a me abscondisti? toties tuam confessionem audivi, & nihil horum intellexi, toties tibi sacrum Christi Corpus porrexi, & nihil horum percipere potui: toties tibi locutus sum, & nihil ex omnibus revelasti mihi. At illa respondit: [exindeque illuminato & pœnitenti,] Sane, Pater, si bene memineris in toto non abscondi: sed occultante Domino, forsitan plane omnia non capere potuisti. Quid immoror? Statim procul dubio ut vir ille suavissimum illum pertraxit odorem, nedum in omnibus sensibus immutationem persensit, quin imo in interiori homine illuminationem quamdam & compunctionem radicalem concepit. Qua ex re, tamquam animi vomitum passus, cœpit horrida peccata Virgini proprio motu detegere, cœpit afflante spiritu de corde profunda suspiria trahere, cœpit occultum virus in patulum producere, & lacrymantibus oculis de cordintimis emendam polliceri.

[213] [peccata sua eorumque gravitatem explicat,] Verum cum instar ceræ ante faciem ignis liquecere videretur, cœpit & ipsa viro, quæ in profundo sentinæ latebant peccata quædam, denudare, denudata ponderare, ponderata quasi in judicio Dei proponere, proposita suæ conscientiæ judicanda relinquere. Proinde cum temporis, loci & alias circumstantias ob ea tremebundus accepisset, veritus animo, & victus rubore, pia impatentia clamare

cœpit cum lacrymis ac dicere: Quis tibi, o vasculum Spiritus sancti, reseravit ista quæ dicis? nempe qui te meorum ita peccaminum notitiam habere concessit, alia plura de me haud dubium indicavit. Atque his dictis, egressus per posticum in hortulum Virginis, flevit amare. Quo facto, rediit vir, meliora proposuit, satisfactionem promisit, atque pro se cordialissime preces fundi a Virgine, tamquam a matre, amodo devotior factus, exoptavit. Cœpit ex tunc, divina fretus gratia, a multis abstinere superfluis, carnem domare jejuniis, ventrem exasperare ciliciis, ceteris pœnitentiæ modulis tempus redimere quod perdiderat. Cumque sic castigaret corpus suum atque in servitutum redigeret, non post multum temporis in hoc salubri & sancto proposito viam universæ carnis per pestilentiam ingressus est: [& ipsum Deo lucratur.] sicque Virgo virum, filia patrem, ovis pastorem ad tramitem justitiæ reduxit: & tamquam super speculam constituta in Israel, annuntiavit impio impietatem suam, animamque suam liberavit. Quanta proculdubio Virgo pro liberatione animæ suæ in carne passa fuerit, propter prolixitatem operis silentio ad præsens transilire curavi.

[214] [naufragia duorum absens cognoscit.] Quoties etiam laborantibus in partu, in infirmitatibus, in tribulationibus in spiritu præsens fuerit, pari forma pertranseo. Duo tamen referam, ne forte de hac re laudes & mirabilia Domini ex toto videar tacuisse. Sane cum oppidum Schiedam nonnullos incolas habeat, qui nautica sibi practica quæritant victum, contigit sæpe procellosis fluctibus involvi maxime piscatores. Ea propter Virgo nostra Lydwina, multum pro concivibus sollicita, flebilibus oculis, tamquam præsens fuisset, tempore naufragiorum solebat deplorare mortes & pericula; insuper prædicebat: O, inquit, quam tristia percipiemus nova hodie ante solis occasum: nam tales & tales hodie evaserunt mortis pericula antehac, talesve submersi sunt aut periire. Paulo post, eodem ferme die, communiter sequebatur

fama lugubris, clamor percellebat urbem, ploratus undique diffundebatur in plateis.

[215] Præterea cum tempore instantis submersionis partium Australium Hollandiæ, [& ab inundatione periclitantem liberat.] mulier quædam quiesceret in villagio, quod vicinum erat aggeri, quo tumens mare atque irrumpens totam regionem occupavit, audivit vocem aquarum validissimarum inter se tumultuantium, & pertimuit valde. Et cum sic ob procellas & tempestates anxiaretur, vidit in spiritu quasi ad se venientem Lydwinam, quæ consolabatur animam ejus, & salvam domum usque conduxit. Mirum dictu! eodem tempore, quo mulier ipsa sic periclitabatur, dedit virgo apertis verbis adstantibus intelligi, quæ & qualia circa prædictam devotam suam aquarum pericula cumulabantur: sicque dono Dei jacebat abjecta sub tugurio, & nihilominus oculi ejus ad fines terræ erant.

## CAPUT VI.

De caritate ipsius fervidissima & desiderio martyrii, quod habuit ad imitandum Christi vestigia.

[216] Excreverant sane in ea non solum intelligentiæ limpeditas cum dono prophetiæ, quinimo insuperabilis virtus amoris affectum ejus accenderat in lampades ignis atque flammarum, adeo ut aquæ multæ non possent extinguere caritatem. Profecto Virgo, candore puritatis longe lateque cognita, quo felicium signorum relictos dolores non frustra gestaret in corpore, incredibili fervore cæpit Passionis Christi sitire triumphum, [Visa gloria suæ corona, adhuc imperfecta,] Martyrumque candidatum æmulari exercitum, quorum nec fides infici, nec spes confundi, nec caritas extinguui, nec patientia frangi, nec virtus poterat infirmari. Igitur circa vigesimum octavum annum infirmitatis suæ, coronam gloriosam hoc modo



adepta est. Annuit siquidem sibi Dominus, in quodam mentis excessu, videre coronam pretiosissimam, cui gemmæ & diversorum colorum lapides præfulgidissimi videbantur inserti; nondum tamen perfectam orbiculariter, perficiendam attamen in futurum. Et cum ad se reversa fuisset, cœpit cogitare de ostensa sibi corona; tandemque deprecari Dominum, quatenus castigationibus paternis vas suum fictile ita coaptare dignaretur, ut & anima suo desiderio non fraudaretur, & ostensam sibi gloriosam coronam recipere tandem mereretur.

[217] [ad quidvis ferendum sese offert Lydwina.] Porro attendens, quoniam tam stupendi decoris gloria parvitati suorum meritorum nullatenus conveniret; infinitatem meritorum Christi, cum universis amaritudinibus, quas in terris pro nobis pertulit, revolvens, adjecit paucula dolorum suorum exercitia in lance componere. Sed cum finiti ad infinitum nulla sit proportio, cœpit ancilla humilis coram Domino, quasi nihil effecerit, seipsam examinare. Et quomodo, inquit, o Domine Deus, tua quis imitabitur vestigia, nisi qua suis carnis molestias, dæmonum insidias, mundi contemptus, hominum insultus tulerit? nec non ex integro atque incorrupto spiritu totum se annihilaverit ipse? Pone obsecro, Domine, ancillam tuam in semitis tuis & in vestigiis pedum tuorum.

[218] [Quidam ex Ducis Burgundi comitatu,] Deinde cum sic pulsaret ad aures amici, contigit, in brachio forti bellatorum, Ducem Burgundiæ Philippum possessionem Hollandiæ, tamquam hereditario jure sibi debitam, per singulas urbes & loca, præstito ab incolis homagio, recipere; receptaque munitionibus armatorum postea stabilire. Venit quoque & ipse in Schiedam, oppidum sæpe nominatum. Factum est igitur circa principium mensis Octobris, ut de stipendiariis quidam, quos vulgus Hollandiæ Picardos vocat, simul sedentes, [a Curato ad Virginem introducti,] invicem conspirarent adversus

ancillam Christi Lydwinam, instar sathan adversus Job justum, concepta malitia gloriantes: audiverant enim, fama volante per orbem, quia non manducaret neque biberet, sed tantum sumeret Corpus Domini. Dumque cibi & potu repleti, quæ plerumque materia sunt furoris, æstuarent; venerunt animo infrunito simul ad ostium Pastoris ecclesiæ, fingentes se velle videre filiam confessionis suæ, seque velle honorare illam verbis pacificis ostendentes. Sed, proh pudor! & proh dolor! instar Herodis in dolo. At ubi Pastor ecclesiæ viros blande loquentes audivit, cito credidit: & quasi gratulabundus eisdem, duxit eos ad Virginem.

[219] Vix domunculam Virginis introierant, & ecce stultorum more clamare cœperunt, [ipso cum contumelia repulso,] claudentesque ostium intrinsecus, ac si barbari forent, circa lectum ejus cachinnari atque tumultuari præsumpserunt. Illa quidem nihil dicebat ad hæc: sed tamquam agnicula grassanti stultitiæ aures parabat eruditas. Curatus autem videns quæ fiebant, consternatus est animo, & ut sævitiam debacchantem compesceret, precibus obnixius quo potuit laboravit. At illi, qui certo proposito, ut sane videbatur, ad sæviendum venerant, contumeliis affectum Christi Presbyterum repulerunt; insuper concubinarium & scortarium Virginis appellare non erubuerunt. Hæc, inquit, concubina tua est & fornicationis tuæ consentanea, qua ex re niteris verbis tuis mendacibus illam defensare. At ille dolens nimium flere cœpit, & in alteram partem altaris, quod ibi stabat erectum, se divertit, ludibria non sustinens, quæ effrontes attentabant. Videntes autem satellites dæmonis suam se posse explere malitiam, [illam impudenter discooperiunt:] quoniam non erat qui ganniret aut viriliter resistere auderet ex omnibus convicaneis aut domesticis ejus; accensa mox in atrio candela, velum, quod ante lectum Virginis pendulum erat, deposuerunt; & abstractis impudenter cooperimentis omnibus, impudicis oculis ac

manibus corpusculum resupinum, multimodo genere morborum, infirmitatum & hydropisi tumidum, vilissime contrectaverunt.

[220] Erat autem eo tempore parvula filia fratris Lydwinæ, [& nepte Petronilla ad terram allisa,] multum perterrita & lacrymosa videns hæc, nomine Petronilla: quam quia more puellari se opponere viderunt, impetuosa quadam furia contra scabellum quoddam projicientes, in inguine ac renibus tam graviter læserunt, quod tunc ad mortem usque claudicare non desisteret. Præterea cum corpus illud virgineum, ad modum utris ob hydropisim tumefactum viderent: omni pudore sublato, [linguis ac manibus sæviunt,] in furore spiritus sui, nunc bestiam, nunc meretricem, nunc voratricem nominaverunt; aliisque venenosis obloquiis, excogitatis de cordibus, adversus Virginem sævierunt. Nec sufficit filiis Belial filiam Christi sic affecisse injuriis, sic discooperuisse pauperulam feminam, sicque vidisse ac pepulisse pollutis manibus Domini sponsam; quinimo super dolorem priscorum vulnerum, cum turgida foret hydropisi, vulnera nova, lamiarum more, suis tandem crudelibus & inhumanis contrectationibus reliquerunt: & lotis postea cruentis manibus, quantocius ut prius, more leonum, blasphemiiis & contumeliis afficere redierunt.

[221] Stabat autem Curatus, videns omnia hæc; sed loqui verbum, [suoque in sanguine natantem dimittunt,] quamdiu hæc fierent, non audebat: puella vero nepticula sua jactura cruciabatur valde. Sola ergo Virgo, sanguine fluente in paleas & pannos contiguos, cum tot blasphemias audiret, & sententiam Domini haud dubium formidaret; tandem ad eos dixit: Cur non timetis sinistre interpretari opera Domini in me? An quale vobis immineat iudicium ignoratis? At illi magis magisque, uti tale ferarum genus assolet, cachinnantes & lætantes, quasi gratum Deo obsequium fecerint, dimissa ea recesserunt.

Quid his amplius? Pervenit rumor tanti flagitii ad aures quarumdam matronarum urbis, & convenientes, proh dolor! Virginem Martyrem, in suo sanguine jacentem; [fit comploratio matronarum,] & puellam Petronillam, crudeliter læsam atque confractam, invenerunt. Et ecce ploratus & ululatus multus: ecce rumor & clamor: ecce fletus & dolor, super commisso nefando scelere, super fluente cruore, super vulnerato & denudato turpiter corpore: nam talia in regione Hollandiæ, quæ femineum genus semper veneratur, non viderat nec audierat ullus, cujusmodi Virgini contingere. Collegerunt etiam venerandæ matronæ reverendæ Virginis circumquaque fusum sanguinem: & cum in tribus partibus corporis læsa foret, adhibita sollicita cura, totum illud vespere in lacrymis & planctibus, propter ea quæ facta fuerant, expendunt.

[222] [& murmur civium contra efferos illos.] Interea Princeps ille novellus, eorum quæ patrata fuerant omnino nescius, vale dicens civibus, transivit in vicinum locum, qui dicitur Rotterdam. Factum est murmur in populo, commota sunt corda bonorum super inauditæ crudelitatis execrando negotio, super tam inconsuetæ malitiæ ferali modo, quam forenses armigeri, satellites dæmonis, turbatores pacis, effusores sanguinis, contemptores honoris virginei, nesciente suo Principe, adversus Christi martyrem, filiam & sponsam, tam immaniter præsumpserunt. Unde venientes ad eam majores natu urbis, consolabantur eam, dicentes, se velle accedere illustrem Principem, seque conquesturos super patrata iniquitate tyrannorum prædictorum. Ad quos Lydwina dixit: [vetat Virgo in eos agi:] Nolite vexare propter me Principem, neque contaminare velitis manus vestras propter eos; desuper est cui vindicta reservatur, jamque judicium eorum in promptu est. Et quidem non diu post peccatum, Deus ultionum Dominus quibusdam ex eis retribuit, qui tantæ crudelitati operam dederunt, ut ex

fide dignorum scriptis accepi. Nam unus eorum in mare præceps ruit, & intrante aqua interiora ejus, suffocatus interiit. [sed vindictam assumit Deus:] Alius autem in amentiam versus, in Zelandia mortuus est. Tertius in prælio quodam ab Anglicis fertur occisus. Nuntius autem quidam ex parte cujusdam alterius magistri sui, nescio qua ægritudine percussi, ut dicebat, missus venit veniam postulare: & hic cum lacrymis ab eadem nedum veniam, sed & gratiam reportavit. Summatim, induti sunt maledictione, qui tam crudeliter detraxerant ei; operati sunt, quasi diploide, confusione sua.

[223] Porro cum Christi famula postmodum sola jaceret, ecce venit Angelus ejus, [eidem gratulatur Angelus,] quasi sol resplendens in virtute sua, qui mellifluis verbis dilectam sic alloquitur: Salve nunc, carissima soror, & gaudio magno gaude: quia corona, quam pridem imperfectam vidisti, nunc plenius perfecta est, quemadmodum desiderat anima tua. Et dixit: Noveris etiam, o dilecta soror, juxta votum tuum te positam extitisse in vestigiis pedum Salvatoris, propter irreverentem attactum virorum, quem perpessa es; nec non ob ludibriosa opprobria & vulnera quæ tuo in corpore suscepisti. Illa tibi fuere monilia coronæ, quam vidisti: illa margaritæ gemmæque pretiosæ; ipsa quoque lapides extitere, quos deesse diademati tuo, Deo faciente, considerasti. O vere igitur in numero Martyrum computandam! amodo Martyrem, cujus animam etsi mucro gladiatoris non abstulit, [ipseque auctor] aureolam tamen martyrii optatam inter clienticulas non amisit. Non te, o Virgo decuit, tot annis sub manu summi artificis quadratam, expertem coronæ triumphalis, inter perfidi hostis satellites fieri; & quod non contulit causa justitiæ cum Abel, non fides cum Stephano, non libertas ecclesiæ cum Thoma, non assertio veritatis cum Hieremia, non redargutio impietatis cum Baptista, non zelus legis cum Machabæis, non Christi persona cum parvulis

Innocentibus; hoc tibi nunc caritas eximia, mens bene conscia, voluntariæ passionis ardor, causa soli Deo cognita, refundendo compensant, ut Martyr dicaris prædicant, clamitant & attestantur.

[224] Aliorum triumphus, etsi tempore belli Ecclesiæ in morte complacuit; te multifaria morte, quam sustines, perpetuo laureandam Christus tempore pacis disposuit. Aliorum mors amara, propter fidem Christianitatis, utpote a paganis; aliorum vero mors amarior, [passionem ejus comparans cum aliorum Martyrio.] propter stylum Catholicæ veritatis, videlicet ab hæresiarchis: tua, ut ita dixerim, mors amarissima, utpote ab Ecclesiæ filiis, falsis fratribus, nomine tenus Christianis, a domesticis fidei, in corpore hydropico, marcido, vermiculoso, corroso annis quinque & viginti, infinitis malleationibus Domini compurgato. Te quidem mulierem esse virtutis clamant zelatores justitiæ; te sine cibo, potu, somno subsistere credunt; te speculum munditiæ ac pudicitiae vociferantur; te botrum electæ vineæ sub torculari, & eximiæ patientiæ jubar magnificent; te matrem plurimorum Christi pauperum plebs Deo devota ubilibet protestatur. Parum est si tibi detraxerint filii iniquitatis, si te voracem dixerint viri absque lege, si scortum, si concubinam, si bibulam, si dæmoniacam & magam te diffamaverint; si te denudaverint, si in faciem conspuerint, si cruentas manus injecerint, si vulnera inflixerint; nam tua res agitur, tua te conscientia excusat, te sententia Dei criminis omnis exsortem noscit: te manet corona, quam reddet tibi in illa die justus Judex.

[225] Missus est denique ab illustri Principe Philippo Capitaneus quidam, guerrarum tempore, vir nobilis Gallicus, [Capitaneus Ducis per suos milites] habens sub se armigeros multos, ad custodiendum civitatem. Hic ad tempus aliquod mansionem suam faciens in Schiedam, intellexit & ipse, referentibus plurimis, quæ & quanta

quotidie faceret Dominus in pedissequa sua Lydwina; quid etiam injuriarum per antea factum sit adversus Virginem sacram a compatriotis seu commilitonibus, virum non latuit. Nihilominus an vera forent de Virgine Lydwina magnalia Domini quæ vulgabantur, rursus experimento certiori comprobare cogitavit. Transmisit igitur Capitaneus iste viros, non tales quales pridem diabolus procuraverat, [explorat abstinentiam ejus,] sed honestos & strenuos in arte militari. Hi sui primicerii suscepto mandato, tamquam facturi circa Virginem excubias, thalamum Lydwinae intraverunt, siquis fortassis alimoniam diu noctuve offerret, observaturi: quod si fallax foret mulier, ut alias in fictis aliis expertum est, ipsa periret; si vero constaret ita esse, sicuti dicebatur, laudaretur merito in populo. At illi, mox ut intrarunt domum, cœperunt cuncta sub & subter perquirere; adeo ut domesticorum neminem in domo permetterent habitare tunc temporis, nihilque remaneret etiam ad pyxides unguentarias, quod ipsi non visitarent. Erant autem sex, ni fallor, numero, ambientes lectulum sponsæ summi Salomonis: quod pio Dei nutu factum esse creditur, utpote quia validum est testimonium virtutis & veritatis, quod profertur in tali re ab ignotis, ab alienigenis, insuper ab inexpertis spiritu viris.

[226] Interea vidua quædam, Catharina nomine, videns quia sic diebus & noctibus Virgo, [unica ad ejus obsequium admissa vidua:] inter viros alienigenas, ignotos atque idiomatis satis ignaros, sola jaceret; mota pietate audacter accessit Capitaneum, petens propter Deum & honorem femineum sibi liberum patere introitum. At ille, sicut pius vir & prudens, annuit fieri petitionem ejus, eo pacto quod quandocumque introiret cellulam jacentis feminae, a custodibus, quos illic ad observandum posuerat, deberet visitari. At illa spondit: itaque novem diebus & noctibus continuis, a sex viris Virgo custodiebatur, ne quis ad eam accederet, dempta vidua

**Catharina: quæ toties quoties ad eam ingrediebatur, de cibis & potibus, armigerorum illorum scrutinium quotidie sustinebat. Mirum dictu! omni tempore quo sic sola relicta jacebat, non præteriit nox, qua non suavissimis contemplationibus in Deum raperetur. Et qui viderunt gloriam Dei in Virgine, non manducante neque bibente, [& tandem veritati testimonium datur.] testimonium perhibuerunt, & testimonium illorum verum est. Cumque pertransissent novem dies, venerunt armigeri & valedixerunt Virgini, promittentes facere magnifica in reverentiam ipsius, orationibusque ipsius se reverendissime commendatos haberi flagitarunt. At illi profecti Virginem laudaverunt ubique: nimirum cum contineat Scriptura, Forte est vinum, fortis Rex, fortior Rege mulier, sed omnium fortissima veritas; insuper honorare veritatem sanctum est. [3 Esd. 3.]**

## **CAPUT VII.**

**De innovatione Martyrii occasione videlicet doloris excessivi de morte fratris sui prædilectissimi.**

**[227] Omnipotens Dominus, coronæ, quam sponsæ suæ prius ostenderat, [Subtractam Virgini gratiam raptuum] non immemor; quamquam in cruce nidulum suum posuerit, quamvis in vulneribus Dilecti cubiculum meridianum efficere curaverit; hoc nihilominus ad perfectionem majorem addendum decrevit, ut deliciis innutrita celestibus, ante felicem obitum ablactari discat, & circumeundo creaturarum latitudinem id solum retineat, Christum scilicet dilectum in cruce quærerere, instar pulli columbæ pro pastu gemere, se a Patre derelictum conqueri, simul cum Virgine matre sub cruce stantem crucifigi. Igitur qui solem abscondit in nubibus, & præcipit ei ut rursum oriatur; hic, postquam, per martyrium carnis, electam ex millibus in semitis suis posuerat; per subtractionem salutarium sive solitarum consolationum, ut**



novis coaptaretur incendiis, quasi solitariam crucifixam, ad tempus & in momento dereliquit. Quare talis innovatio crucifixionis Virgini unde pervenerit, attendamus.

[228] Juvenis quidam nationis Coloniensis, Gerardus nomine, facta super eum manu Domini, carnis spurcitas mundique vanitates fugere, [cognoscit Gerardus Coloniensis.] cœlibemque vitam actitare, Spiritu sancto edoctus, quomodo id attentaret cunctari cœpit: tandemque florigera fama Virginis audita, mox consilium petiturus acceleravit. Hunc ergo cum Virgo fuisset intuita, quasi de præsentia spiritualis fratris ac in Domino commilitonis exhilarata, spiritum novum induere videbatur. Sedente viro juxta grabatulum Virginis, præcedentibus sacris de Deo colloquiis, propter quod magis titillabat mentem Virginis, aperuit: Vellem, inquit, o Lydwina, quæ spiritus sunt apprime necdum expertus, vitam cœlibem & anachoreticam ducere, dummodo morari possem in aliqua provincia procul ab hominibus & amicis, utputa in partibus Ægypti: sed id summopere mihi causam adfert formidinis, quod absque tentando Deum sic in remotis nequaquam valerem consequi necessaria vitæ. Virgo vero Lydwina, [olim cum ejus consilio in Ægyptum profectus,] propositi boni spiritusque fervorem in bonæ indolis viro diligenter attendens, tamquam secretorum spiritus in hac parte de futuris conscia, sic fertur respondisse. Dilecte frater, ne paveas obsecro; sed virilem animum jam induens, ad patientiam primitus & longanimitatem te coapta: nam cum in illam vastam solitudinem te transtuleris, modicum probaberis in principio, sed ante solis occasum diei tertiæ tenui pasceris alimento, quod opitulante Dei omnipotentis gratia dietim adaugebitur. Manum equidem ad aratrum misisti, ne retraxeris, si fidelis athleta velis inveniri.

[229] His atque aliis spiritualibus exhortationibus prolatis ac susceptis altrinsecus, factus est Gerardus ad

aggrediendum ardua quæque pro Christo virilior, factus est eo ad vitam contemplativam proclivior, [ibique in vita solitaria] quo Virginis præ sagio de Dei adjutorio, in hujusmodi solitudinis horrore, factus est certior. Valedicentibus igitur sibi mutuo, atque caritatis glutino se vincientibus, accepit juvenis socios, & cœpto itinere ad Ægyptum usque pervenit. Socii vero videntes vastæ solitudinis horrorem, ferarum insolitam societatem, panis carentiam, dimisso Gerardo ad partes fidelium redierunt: Gerardus autem, frater ferarum amodo in vasta solitudine constitutus, in arborem frondosam se locavit, ad quam plus arte vel ingenio quam virium magnitudine scandebat. Quid plura? [citra usum cibi humani vivens,] factus est vir devotus devotior, atque ita invenit ut Virgo prædixerat: nam crescente meditationis ejus studio, crevit & cælestis nutrituræ munusculum, crevit & Angelicæ colloctionis arcanum. Dum itaque vir iste, Deo & Angelis sedula contemplatione devotus, sæpius in spiritu sororem Lydwinam vidisset; contigit quodam tempore, unum de fratribus Virginis ab hoc saeculo migrare, eamque a consuetis mentis excessibus ad tempus divina dispensatione suspendi.

[230] Causa vero suspensionis hujusmodi, uti postmodum patuit, dolor fuit, parumper excessivus in morte carorum, [cui revelatum esse quod consanguineorum morte:] quem in morte dicti fratris sui conceperat, ex eo quod patri veterano fidelis, & ipsi Virgini plurimum gratus & officiosus fuerat: nihilominus aliquid humanitatis passa, gratia ad tempus distrahitur; quatenus in carne non audeat gloriari, quæ supra carnem vivens, quasi in cruce tot annis confixa, Dominum didicerat imitari. In carne præter carnem & absque contagione vivere, Angelicum esse tradidit Doctor Catholicus: sed in carne supra carnem per tempus & tempora, sine quovis domesticorum consortio, sic infirmitatibus affligi, divini muneris est, quod non negaret sanæ mentis philosophus. Et quidem in

cruce Filio, [non satis moderate Virgo tulisset, ab eo discit] a Patre derelicto, Maria mater adstitit; quæ quamvis pendulum juvare non posset in morte filium, caritatem tamen corde commoriendo tunc ostendit, quoniam secum corpore simul mori non potuit: sed licet longe dissimiliter, multis annis pater veteranus filiam, & fratres sororem, infinitis torturis dolorum cruciatam viderunt, quam minime relevare poterant; pietatem tamen animi & caritatem cordis sui dietim ostendere non destiterunt. Et quidem moriens in cruce Dei Filius curam gessit matris, & dilecti sui discipuli, quos vinculo dilectionis perpetuo vinciri voluit, priusquam clamaret, Eli Eli, lamma sabactani. Pietatem in Deum & in suas servare non vetat caritas, non dolore simpliciter in privatione amicorum nescit humanitas, dolere vel modicum supra quam deceat dissuadet ordinata perfectio caritatis: & sic est hic. Non prohibuit Dominus Virginem impendere gratiam mortuis dilectis, sed nec humanum aliquid pati propter fratres duxit anathema: sponsam tamen sui solius imitatricem magis fieri voluit per hoc, quod tantillum de morte domesticorum suorum dolentem, & in ipso dolore plus debito excedentem, consueti raptus beneficio suspendit.

[231] Erat autem tunc temporis quidam reverendus Antistes, [Episcopus Anglus, ad loca sancta peregrinatus,] de gente Anglorum, qui causa suæ peregrinationis Terram sanctam, quam Dominus pedibus suis beatissimis calcare dignatus est; nec non & montem Sina, ubi beata Virgo Catharina mausolæum obtinuit, ceteraque loca devota Sanctorum lustrare decrevit. Sumpto igitur secum venerabili comitatu, facto perficere studuit quod voto conceperat; ac perlustratis terris gentium, cum duce itineris, quem ad hoc pretio conduxerat, postremo loca sanctorum quondam Anachoretarum Ægypti paulisper invisere cogitavit. At ubi cellulam eremitæ magistri Gerardi, dirigente Domino viam suam, in arbore quadam

alta ac frondosa vidisset; primum obstupuit, sed resumpta tandem audacia, quatenus ob reverentiam Dei sui responderet, suppliciter requisivit. At ille deorsum respiciens, [& Gerardum inveniens atque examinans;] vidit in habitibus peregrinis viros ad pedem arboris consistere: viderunt & illi virum crassum, sed vultu Angelicum, inter ramos arboris residere: & simul colloquentes,

[232] Dicit, inquiunt, nobis, Abba, quot annis latuisti, ex quibus te non viderit homo? Qui ait ab annis duodecim neminem hic conspexi. Et dixerunt: Qualis ergo cibus tuus, ut inter feras indomitas latitans tanta crassitudine superfluere videaris? Et dixit illis: Qui filios Israel pavit in deserto, pascit & me suo pane suavissimo, quo tempore congruo sustentor. Dicunt illi tertio: Dicit nobis in conscientia, si secundum noveris in terris, qui nullo terrestri cibo pascatur, Et respondit, Novi. Est, inquit, [discit quoque ab eodem] in partibus Teutoniæ provincia quædam dicta Hollandia, cujus in oppidulo quod dicitur Schiedam, Virgo quædam languens jacet & infirma, quæ nullo cibo corporali pascitur aut potatur. Nec adeo miremini me hic solitarium, quia hæc longe me virtute clarior, patientia Christo conformior, Dominoque gratiosior existit. Siquidem hæc, in carentia corruptibilis ac terrestri alimonie mihi est soror, hæc sæpe in refectione mentis socia, hæc una mecum in contemplatione divinarum collateralis Christi discipula. Unum tamen, inquit est, quod satis admirari non sufficio; videlicet quod diebus aliquot ejus in Domino non fruor præsentia, [eximiam Virginis sanctitatem] quia in solito contemplationis gradu, ut consuevi, eam non intueor, & nihilominus de transmigratione ipsius e seculo non percipio.

[233] Cui rursum viri dixerunt: Tu dicis, frater, quia non videris illam certo tempore: edissere quæsumus ergo

nobis si nosti, qualis possit esse talis subtractionis aut suspensionis origo. Et respondit: [& rogatus ire Schiedamum] scio quia interdum, permittente Domino ad humiliationem suam, aliquantisper plus quam deceat in morte carorum suorum dolore consueverit: ex qua re, ut conjecturare possum, suavitate pristinae consolationis ad tempus ita suspenditur. Sed unum instanter vos facere deprecor, ut ad propria revertentes, si transitum per Hollandiam habere contigerit, locum mansionis Virginis inquiratis, atque super tribus plenius informandi quam ipse noverim, ipsam Virginem interrogare velitis. Primum est ut ipsa vobis dicat, quot annos in hac solitudine egerim: secundum quotiens vel quot annorum hanc vitam primum attentans extiterim; tertium quæ proprie sit causa, quod ipsius grata præsentia diebus his privatus fuerim. Hoc autem haud dubium dicebat, ut vel ipse sic liber foret ab ipsorum quæstiunculis, ne & ipse solita contemplatione retardaretur, aut saltem ad visitandum mansiunculam Virginis properantes, aliquis eorum ad actitandam vitam magis cœlibem animaretur.

[234] [ipsam visitat:] Illi autem cum audissent virum, abierunt: cumque in Hollandiam salubriter Deo duce pervenissent, requirentes urbem in qua Virgo habitabat, domum invenerunt quam optabant. Narrantibus igitur illis quæ audierant & viderant, novissime quæstiunculas suas proposuerunt. Quibus illa respondit: Et quomodo, carissimi, satisfacere vobis potero? ipse Dominus novit quid sit de his, me autem in hac re supportatam habere velitis. Episcopus, Virginis tacitus verba considerans, quoniam ex humilitate differret, dixit ei: Ex ore viri Dei, o soror, [quæ ad Gerardi interrogata respondens,] tibi dicimus hæc; ea propter ne pigeat, sub pallio humilitatis superfluæ, quid in hac re noveris, conscientia dictante detegere; sed ad consolationem nostram, qui de tam remotis venimus, quæsumus pandere ne recuses. At

illa, Divinæ, inquit, voluntatis si fuerit, resistere non audeo: quapropter, salvo saniori iudicio, dicam quod sentio. Ad primum quod quæritis, quot scilicet in hac solitudine annos transegerit; dico, decem & septem: ad secundum vero, quot scilicet annorum hanc vitam inchoaverit; respondeo, novemdecim.

[235] Ad tertium vero responsura, latius dicam. Et quidem cum quæritis, [ait, sublimiori ipsum contemplatione frui] quæ proprie causa sit meæ subtractæ cum eo præsentia, respondeo: Clarum quidem est, quoniam hic languens, in medio saecularium a Domino prostrata conversor, & mundana velim nolim audio, talibusque juxta exigentiam materiae satis facere salva conscientia jugiter adstringor; qua ex re nil mirum si quandoque suffundor pulvere, si a spiritualibus retardor, si a meditationibus sublimioribus impediatur, si solitæ consolationis dulcedine suspendor, si sua præsentia in Domino non fruor, nec ipse ut dicit mea jucundatur. Ipse vero pro libito voluntatis suæ ab hominibus segregatus, inter Angelos conversatur, regionem Sanctorum meditatur, mentem illibatam servat a pulvere terrenorum, mentem elevatam tenet in arce cælestium: idcirco dignum & justum est, ut in lumine contemplationis me scandat & agatur sublimius, [quod vitam extra homines agat,] ut consolationibus Domini repleatur frequentius, ut utroque mentis oculo reficiatur delicatius, ut etiam in utroque homine peramplius atque perfectius impinguetur. Nihilominus de præsentia noverit reverentia vestra, quoniam de morte fratris aliquantisuper super congruitatem doloris excessi: & ex hoc vicissitudines suavitatis assuetæ merito, quamdiu Dominus voluerit, amisi. Audientes autem viri tres numero Virginis responsum, ædificati sunt valde: & gratiarum actione facta cum postulatione orationum illius, gaudenter abscesserunt.

[236] Contigit post hæc Virginem familiariter loqui de Gerardo prædicto, quoniam pinguedo colli oram vestis illius pendula desuper excederet, & quomodo commode sedere aut jacere nullatenus posset; insuper quomodo diu noctuque pro majori parte temporis genu flectere cogeretur. Transivit vir iste sanctus ex hoc sæculo, sicuti ab Angelo accepit, millesimo quadringentesimo vigesimo sexto Domini anno, die duodecimo mensis Octobris: spiritumque ejus, [eumque 12 Oct. an. 1426 obiisse intelligit.] vidit evolantem ad æthera, Domino concedente, qui gloriosum Antistitem Ambrosium de obitu sanctissimi Confessoris Martini certificavit, & exequiis ejus interesse fecit. Si igitur, o lector discrete, noveris quid sit vesci pane cæli, mihi & tibi prorsus ignoto; si sciveris separare pretiosum a vili; quid recta conscientia definies de Virgine? quidve sano judicio de famelica nostra Lydwina medio tempore dicere poteris? Sane nil aliud, ni fallar, eam, solita consolatione sic privatam, fuisse affirmabis, quam lignum quoddam arescens, quod nec rore nec aqua perfunditur; quam puerulum, qui matris uberibus ablactatur; quam terram sitientem & infructuosam, quæ pluviam voluntariam a Domino præstolatur. Est utique anima talis sicut radix in terra sitienti, quemadmodum expertus novit, & in hac Virgine clarius emicuit, ut dicetur in sequentibus.

### CAPUT VIII.

De morte patris sui: & aggravatione manus Domini, facta super eam, ob mortem Petronillæ virginis quam diligebat.

[237] [Patre Lydwinae sancta mortus] Venit hora ut venerandæ senectutis vir, Petrus pater sacræ Lydwinae, moreretur. Hic cum filios & nepotes relinqueret, veniens circa finem, pro memoriali sanæ conscientiaæ atque serenæ, suis hoc verbum reliquit: Carissimi, en viam

universæ carnis ingredior: sed hæc mihi consolatio non modica, conscientia me de alieno non accusat. Vidit etiam dictus senior gloriosam Virginem Mariam antequam moreretur, a qua promissum accepit, quatenus circa festum Conceptionis quæ colitur in mense Decembris, e seculo foret evocandus. Quod & unicam natam ejus non latuit, quæ Confessorem, ipso die Conceptionis Missam celebraturum extra civitatem, instanter rogavit; ut Missam, quam celebrare deberet, anticiparet in vigilia, ut eo liberius exequiis migraturi Patris interesse posset: quod & factum est ita. Nam ipso die Conceptionis senex sepelitur, & de salute patris, revelante suo Angelo certificatur.

[238] Cum autem interjecto tempore postmodum ad diversa loca pœnarum in spiritu iterum raperetur, [affligunt ipsam dæmones,] vidit iterum quosdam teterrimos dæmones in unum conglobatos, tenentes unum de malignis suis consociis, sub specie patris Lydwincæ nuperrime defuncti, cui mirum in modum illudere videbantur: & hi ad Virginem dicebant: Ecce quia patrem tuum sub juramento tenemus socium in pœnis, & condemnatum in tormentis. Quod cum illa audiret, contristata valde, flevit supra modum: interrogata vero cur fleret, respondit: En spiritus tenebrarum patrem meum damnatum affirmant; quod minime credere volo: nihilominus, cum viderim speciem ejus haesitans, a lacrymis nullatenus continere valeo. [cum damnatum mentientes.] Rursum quadam vice, cum Virgo paululum consolationis accipere deberet, aparuit iterum caterva dæmonum dicentium: Euge, euge, quia nunc tenemus patrem tuum nostra sub ditione mancipatum: noster quippe est in sempiternum. Et cum ita Virgini illusissent, divinitus datum est sibi nosse, quoniam non spiritus patris, sed de malignantibus & reprobis in delusoria specie unus esset, ad tentandum patientiam ejus: unde dæmonibus dicebat: Jam scio quia nequaquam pater



**meus est, ideo confusi discedite. Qui statim dissipati sunt, ac velut fumus a facie venti confusi discesserunt.**

**[239] Paucis postmodum evolutis diebus, addidit Dominus evocare Virginis neptem, nomine Petronillam, quam tenerrime diligebat Lydwina, tum quia pudica erat & pia, tum quia tempore grassantis militiæ quorundam Picardorum socia fuerat in pœnis; unde & clauda remanserat. Qualiter autem hæc virgo, nepticula Lydwinae, placuerit amatori castitatis, [Post visionem funeris a Sanctis ducti,] sequens visio amicæ facta demonstrat. Nocturno quodam tempore facta est Lydwina in excessu mentis, in quo vidit innumerabilium cæli civium multitudinem, quasi processionaliter incedentium, ita ut primo Patriarchæ, secundo Prophetæ, tertio Apostoli, quarto Martyres, & sic deinceps usque ad Virgines inclusive, sub alterno quodam ordine sibi invicem succedere discernerentur. Ferebantur vexilla, sequebantur luminaria splendoris insoliti; & horum congruitas ordinis usque ad camerulam Virginis pertendere videbatur. [quod ipsa tres coronas ferens sequebatur,] Qui cum illic starent coram camerula congregati, visi sunt funus quoddam, quod in medio domus stabat, veneranter sumere, sumptumque eo ordine quo venerant seriatim ad sepulturam efferre: quos ipsa Lydwina cum duabus coronis in manibus, tertia super caput posita, subsequi videbatur.**

**[340] Porro cum Virgo ad semetipsam reversa ruminaret quod viderat, [discit obituram neptem:] cœpit in se cogitare, si forte resolvenda foret de proximo: sed mox revelante Deo didicit, quod Petronilla neptis sua foret, quæ de medio pravæ nationis evocanda præmonstrabatur: insuper & certum diem transitus ejus Dominus Jesus sponsæ Lydwinae revelare dignatus est. Rogavit igitur instanter Altissimum, quatenus consuetum diem februm anticipare vellet, ut eo efficacius neptem,**

certo die morituram, consolaretur. Advevit dies præordinatus a Domino, qua Pontianus Martyr sanctus in Trajectensi diœcesi veneratur, in qua juvencula virgo ad mortem laborare cœpit, [quare anticipari febres suas petit,] in qua etiam circa horam undecimam virgo Lydwina febres expectabat. Mirum dictu! factum est ut febres illæ horribiles septem horas anticiparentur, utputa quæ juxta meridiem circa undecimam venire debuerant, venirent summo mane hora quinta. Siquidem horripilatio & stridor invaserunt eam, adeo ut mirarentur domestici: secuta sunt caumata insperata, quibus finitis, tamquam læna, pro confortanda virgine adolescentula, vires resumere visa est. Cœpit virgo ad agonem tremula tendere, [ut eamdem in agone confortet.] cœpit virago campi ductrix virginis animum fidei & spei virtutibus communire: parat illa vasculum quantocius resolvendum de proximo, promittit ista oleum infundendum ex Christi merito: sicque moribunda morituram confortat & consolatur in Domino. Sicque factum est ut virgo moriens duplicem coronam, quam se Lydwina in spiritu gestantem agnoverat, propter castitatem mentis & corporis, acciperet; & tertiam, quam in capite per visum similiter portaverat, propter jacturam & læsuram gentis barbaricæ, quas passa fuerat, jam a Sponso coronanda possideret.

[341] [ea mortua in magnam mœstitiam incidit:] Porro cum hoc modo præclara Christi famulatam officiosam familiaremque thalami sui secretariam, nec non & insoliti martyrii clienticulam, cælo præmisisset; cœpit a Domino iterato multimodis castigationibus fustigari, cœpitque tristitia mentis indies humiliari: quin imo cœpit & ariditate mentis interius torqueri. Optaverat enim ante adventum tortorum, de quibus dictum est supra, in vestigiis Christi collocari, quod adimpletum fuit per martyrium carnis exterius: optavit deinde, si bene tenuerim, extra illa rursum poni juxta beneplacitum Domini, quod forsitan nunc

factum est, per derelictionem mentis infirmantis interius. Nam rem nimis mirandam dico: quippe mox, ut orbata fuit dulcissima nepte, dolorem incurrit pariter & mœrorem animi: ex quibus quodammodo solita consolatione rursum suspensa, derelictam se reputabat & abjectam.

[342] Cumque propter excessum doloris humani, se merito privatam pristina suavitate spiritus cerneret; cœpit novis imbribus lectulum rigare, & ex intimis pectoralium sanguinem per os fundere; [ideoque privata consolationibus solitis] sicque rursum quasi novitia, Magistrum & Sponsum per singulos dies, ut redeat, invitare. Jamque dolores ut parientis, quia Dilectum offenderit; jamque clamores mentis, quia Sponsum amiserit; jamque coarctant angoris cordis undique, quia non est qui medetur. Terra ferrea sup̄ter, cœlum æneum desuper, adeo ut cogatur dicere illud Psalmistæ: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus? [Psal. 41, 4.] Quondam deflere libebat annos adolescentiæ, cum peccatrice ad pedes Domini; olim deflere complacuit proximum, quasi quatruiduanum cum Martha, coram Domino; saepius lacrymari decuit super passione Sponsi, cum Matre Domini: jamque, ut olim, lacrymas cruentas fundere compellitur, super ablatum Dominum ac Magistrum, cum Magdalena ad ostium monumenti; cum qua merito potest illud dicere verbum: Ardens est cor meum, desidero videre Dominum meum, quæro & non invenio.

[343] Superveniebant Religiosi, ut consolarentur eam in diebus angustiae; [inconsolabiliter luget:] concurrebant matronæ devotæ, ut relevarent mœstitiam spiritus ejus: sed onerosus erat omnis consolator, angustiosus erat omnis sermo creaturæ, quoniam solus Dominus spes ejus. Novissime clam veniebant ad eam Confessor & domesticæ, dicentes: Cur sic frustra consumeris? cur sic lacrymas fundis? Nonne, te quandoque volente nos

**docere, audivimus, in die malorum memores esse debere & bonorum. Quibus dicebat: Quid mihi molesti estis, & ut quid semivivam mortificatis? ut quid super dolorem vulnerum meorum addere non formidatis? Qui nimirum dulcia dona Dei non sapuit, minus dolet, quia dulce ab amaro non discernit: qui vero dulcia Dei dona gustavit, & his subtractis omne amarum sumere cogitur, mors illi refrigerium est, dummodo rursum ad pristinam suavitatem redire spes nulla sit. Dicebatque Virgo: Utinam omnia molesta mundi subire deberem, salva semper voluntate divina, quam præpono, & consuetas gratias haber possem. Non dolet amittere, qui pretium rei non pensat: minus autem dolet, qui non novit: minime vero dolet, qui non curat, sed contemnit.**

**[344] [suis id peccatis attribuens;] Vidua quædam Deo devota, videns dilectam Virginem sic affligi, cordiali cum affectu suppliciter exposcit, quatenus sibi pure dignaretur adaperire, qualiter inter Deum & conscientiam suam ageretur. Quæ quasi vim passa, respondit: Peccatis meis demerentibus, omnibus suavitatibus internis, utputa circa gustum & perceptibilem effectum sanctissimi Sacramenti aliisque secretis donis ejus privata sum: sed hoc solum teneo residui, idque præcise de plenitudine divine bonitatis, quod pro solatio relictum est, quod vitam & conversationem amantissimi Jesu, a præsepio usque [non tamen Passionis meditationem dimittit.] ad patibulum crucis, avida mente, sine cogitatione quacumque aliena, percurro. Verumtamen hoc ratum habeas, quod, quantum ad internum ac pristinum gustum, in regionem longinquam abii, in regionem dissimilitudinis abscessi, in regionem, inquam, amaritudinis, absynthii, myrrhæ & fellis usquequaque repleta. Nempe, videre meo, nulla consolationis alia superest formula, nulla alia remanet exercitandi facultas, quam Dilectum per noctes in lectulo crucis quærere, atque præ dolore morientem atque a Patre derelictum, absque dulcedine spiritus, memorando**

revoluere; sicque sine nucleo saporifero, corticem insipidum decorticare.

[345] Et quisnam nunc tam crudi atque indigesti spiritus vir aut mulier, qui cum dilecta nostra Virgine, [Quanta hæc fuerit afflictio Virginis.] intrinsecus & extrinsecus sauciata, pro redimenda Dilecti præsentia non congemat atque suspiret: pro cujus præsentia Maria mater, gratiarum plenissima, se cum Joseph triduo dolere dicit? pro cujus veneranda infantia Simeon vetulus, probatus & coronatus, tantum anhelare legitur? pro cujus glorifica transfiguratione Petrus, piscator optimus, ceterorum confratrum immemor, tria tantum tabernacula fieri, Euangelio teste, optare convincitur? cujus melliflua præsentia discipuli vel ad horam carere noluerunt? pro cujus emortuo corpore videndo & uniendo Magdalena tantum plorasse refertur? pro cujus in cælo amicabili assistentia Stephanus Protomartyr lapides dulces æstimat, & spiritum reddere præstolatur? pro cujus jucunda fruitione Laurentius, prunarum ardorem sibi refrigerium præstitisse, clamabat? Unde mihi videre videor Virginem, pia impatientia patientem, insuper & dicentem: Ingrediatur putredo in ossibus meis & subter me scateat; eo videlicet pacto, ut dilectus meus, candidus & rubicundus, electus ex millibus, redeat rursum vel appareat: cujus ex præsentia requiescam in die tribulationis, quo sursum ascendam ad populum accinctum nostrum.

## CAPUT IX.

De visitationibus suavissimis, a Domino redditis: & de patientia ejus in novissimis morbis, gravioribus primis.

[346] Igitur sitiens sitivit anima Virginis ad Deum fontem vivum, [His probationibus prorsus expurgata] si quando veniens veniat desideratus, si forte redeat dilectus

animæ, benedictus Christus Dominus. Erat insuper illis diebus desertæ Christi sponsæ singulare temporibus mediis exercitium, voce videlicet cordis ad Dominum clamare, in die tribulationis Deum exquirere, dies & annos antiquos in mente habere, de minutissimis defectibus spiritum nocte scopare, omnem consolationem creaturæ cujuscumque renuere, sanguineas lacrymas (quas rosas suas vocabat) ab oculis educere, solius misericordiæ ac justitiæ memorari, dicens cum Psalmista: Numquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc? [Psal. 76, 8.] Numquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas? Si procul dubio languidus amor amantem cruciat & affligit, hanc nostram Lydwinam, magnopere præ cunctis mortalibus mihi notis languore deficientem dixero. [& in amore Sponsi solidius firmata,] Enimvero languidus amor & verus si fuerit, consolationem in mundo non recipit, sed abjicit omnia potius; non contaminatur carnis illecebris, sed vivit in ea purius; non superatur blanditiis, sed adhæret Christo tenacius; non fatigatur difficilibus, sed perseverat in eis ardentius; non superatur violentiis, sed vincit multo tenacius; non satiatur ligatus in corpore, sed sitit fontem avidius; fontem, inquam vitæ vivum, videlicet qui reficere solus potest, inebriare solus novit, dilectum satiare solus dignatur quando placuerit.

[347] [humiliorque & cautior reddita in futurum,] Sed quid immoratus fuerim? Discit & addiscit amabilis Christi discipula, per ejusmodi suspensionem consolationis & languidum amorem, de novo convalescere, utilitatem præsentis Dilecti noscere, propriam infirmitatem attendere, æternæ separationis pœnas metuere, an non fictè diligat agnoscere, charismatibus potioribus se coaptare, Sponsum diligentius quærere, quæsitum gratiosius recipere, receptum cautius custodire, custoditumque delicatius possidere. Cœpit exinde cogitare, quomodo pessulum ostii sui quandoque

juvencula non aperuit per incuriam Dilecto, per negligentiam annosa habitum non custodierit, nec non quare ob hoc declinaverit atque transierit, licet in die plenioris misericordiæ ad eam reversurus. Sicque cogitando, dies antiquos & dies æternos, quos quandoque in perpetuum possessura erat, in mente habuit: sicque spiritualis harmonicæ organum plectro profundæ discussionis moderari cœpit: sicque finaliter pure ac nude, more ancillæ in manibus dominæ suæ, sub flagellationibus se iterato subegit.

[348] Dum igitur mensibus quinque continuis, in ablatione pluvix cæli & roris, sic arefacta jaceret; nihil aliud videbatur quam humilis Chananæa, quæ se caniculam reputari non horruit; [post quinque desolationis ejusmodi menses,] quamque mulier Sareptana, duo ligna, videlicet præsepium & crucis, colligens, quæ pauperiem suam recognovit; quamque pallescens coram magno Assuero & deficiens Esther, quæ tensam virgam regiam osculando humiliter amplexatur, & quidem cum ea merito loquitur ad Sponsum: Vidi te Dominum quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum, præ timore gloriæ tuæ; valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum. [Est. 15, 16.] Quoties in pariformi verborum sententia proruperit coram Domino, quoties in faciem spiritu corruerit, quoties exanimata, quoties vultus ejus in diversa mutatus fuerit, calamus non exaret, lingua non explicet, sed potius tacite cogitet, qui dulcedinem Domini gustare multum aut parum expertus est. O utinam revertatur Dominus, & loquatur ad cor Virginis! utinam complacitior fiat, qui cor Assueri in mansuetudinem convertit! utinam sustentet dilectam in ulnis, & parvulæ ac humiliatæ nostræ blandiatur!

[349] Quærens quæsivit dilecta Dilectum, & quærens invenit: quippe qui quærebat, adstabat; [in festo Visitationis] & quæ quærebat ignorabat, quia staret post

parietem, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Factum est autem ut in solennitate Visitationis gloriosæ Virginis Mariæ, quæ secunda mensis Julii ab Ecclesia colitur, quando Virgo nuptam conjugatam, Rex militem, Deus hominem visitasse leguntur; tunc etiam Virgo nostra visitaretur & faciem suam sponsæ Sponsus ostenderet, [denuo a Domino visitatur,] qui diu latuerat, vocemque dulcem sonare faceret in aures dilectæ Dilectus: ad cujus aspectum exultavit spiritus, ad cujus vocem liquefacta est anima, ad cujus odorem revixit mortua, ad cujus contactum commota sunt viscera, ad cujus amplexum contremuerunt omnia Virginis ossa, dicentis: Auditui meo dabis gaudium & lætitiā, & exultabunt ossa humiliata. Profecto jam clarescere cœpit sol, qui prius fuerat sub nubilo: jam nimbosus imbris polus umbrari desiit: jam tempestatem serenum ævum secutum est. Tanta enim in reditu Dilecti Virgo Deo dilecta suavitate repleta est, ut ingredientibus cellam ejus paradisus aromatum merito videretur. Sane per hoc domesticis ejus dabatur intelligi, quod cælestis unguentarius ejus interna curaverat vulnera, cujus circumflua taliter diffundebantur perceptibiliter oblectamenta.

[350] [cum cælesti fragrantia,] Viri autem & mulieres, qui tempore visitationis hujuscemodi casualiter advenerunt, cum inexpertam & incredibilem redolentiam illic esse sensissent, admirantes instar filiorum Israël dicebant: Quid est hoc? Nempe fragrantiam talem numquam percepimus. Dic nobis, Virgo, unde hoc? Quæ respondit; Dominus novit quid sit, & unde sit, quod sentitis. Unum, inquit, vere nosco; utpote cum me homines aliquid magni dicant & arbitrentur, mulierculam fragilem me fore persentio. [quæ apud eam deinceps perseveravit.] Sciebat quoniam in die bonorum memor debeat esse & malorum; & quod cum labore acquiritur, cum amore ac fervore possidetur. Sed factum est exinde, ut ea quæ



tremula Virgo nitebatur abscondere, propter humilitatis margaritam, Dominus patula fama divulgaret suam ad gloriam. Erat quippe post tribulationem illam anhelitus ejus adeo spirans & redolens adventantibus, ut quando vel sudans vel movens aut mota paulisper sentiebatur, alabastrum unguenti pretiosi aut vasculum unguenti electi, magis quam corpus humanum crederetur.

[351] Ex tunc cœpit quasi ad terminum sui cursus indies festina tendere, [ex hinc ad terminum suum festinans] & indefessis Sanctorum recreationibus crebrius recreari, ut etiam hiemali tempora nunc suffulta violis, nunc liliis, nunc rosis, & aliis floribus, fragrantiam tribuentibus, quasi e paradiso deliciarum videretur advenisse. Stabilita sunt denique bona illius in Domino, cœpitque ut gemma vitis per humilitatem, quasi nil boni fecerit, de novo succrescere; quasi palmes florens, redolentis ædificationis in populos odorem dispergere; quasi botrus Cypri in vineis Engaddi, ad radios veri solis maturescere; & quasi purissimum ac defæcatissimum vinum libaminum, se Domino totam sacrificare. Non amodo turbabat eam mane aut vespere, [eum magna & constanti quiete animi,] non longum aut breve, non altum aut profundum, non carum aut asperum, non amarum aut dulce, non dies aut nox, non confusio aut gloria, non alienum aut proprium, non corporea aut incorporea substantia aliqua, non ubertas aut ariditas spiritus, non adversa aut prospera: sed omnia, dummodo ad bonum & ad malum neutra sint, secundum quod ab illa imperiali summi Regis ac semper augusti aula procedere dignoscebantur; ita apud spiritum Virginis, resolutum & in Deo stabilitum, quodammodo æqua lance librabantur.

[352] [deque seipsa humillime sentiens,] Nihil aliud de se sentire voluit, post humiliationem a Domino sibi factam, quam opus fore fictile sub manu figuli; nil aliud confiteri coram hominibus, quam fragile vas & femineum in rota

versatili; nihil aliud coram Angelis proclamare, quam abortivum marcidum & inutile, ab utero projectum, sub sola spe miserantis Dei. Quisnam fidelis inter adolescentulas filias, amicas, aut sponsas nostri temporis, sicut Lydwina, ingrediens & egrediens ad imperium Regis? Dicat ergo: Bonum quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas, & iterum, Dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Dei excelsi. Flagrabat exinde, Christo in cruce confixa, desiderio mirabili suum in cælis sponsum attingere, cujus sigillum tectum tenebat in corpore, pro cujus reverentia meruit sanguinem fundere, cujus nutu decreverat plagas & ulcera suscipere, cujus in absentia languentis amoris sagittas didicerat sustinere. Cœperunt ex tunc multiformis morbi insignia, [cœpit omnibus in membris] quasi gurges aquarum, per singula membra Virginis rursum effluere, ut non esset dare vacuum in toto corpore, quin ad patiendum vivaciter; nec portio virtutis in anima, quin ad promerendum efficaciter a Domino coaptarentur.

[353] Sunt infirmitates aliquæ, potius autem inflictæ divinitus reprobis plagæ, [omnigenas experiri infirmitates,] quas diversæ lingue, nationum diversis vocabulis vocant, & quæ physicæ speculationi non subsunt, monstruosæ & dæmonio similiores; & has felix Christi discipula numquam in terris habuit. Ceterarum autem virginearum & naturalium, de quibus Doctores facultatis medicinæ loquuntur, nullam evasit: sicuti & qui audierunt ab ore ipsius dum viveret, attestantur. Simples autem & permixtas species ægritudinum, transcendentis modo & physicæ considerationi minus solito, semper ab initio sui stratus, sæpius magis dixerim, perpessa est: circa finem tamen vitæ hujus gravius, ut merito Teutonico nomine, Lydwy, Latino vero eloquio, Patere diffuse vel late, nomen sortita, B. Patientia meruerit appellari.

[354] Morbum autem Epilepticum ter in nocte una circa finem annorum sustinuit: [cum epilepsia,] sed nec ante nec post quidquam talium de ea quis percepit: ipsa tamen se una tantum nocte morbo illo gravi dejiciendam familiaribus prædixit; atque quatenus eam observare dignarentur, instanter rogavit. Cumque super hoc argueretur, cur ægritudines has de manibus Domini precibus non abigeret; cum satis suis reliquis abundaret, ait: Nemo reprehendat in hoc Dei super me judicia: nam qui mihi præbet virgam, parat insuper & multam gratiam. Apoplexiam & amentiam passam fuisse ab his qui viderunt accepi; [apoplexia, amentia,] de qua amentia signanter prædixerat cuidam de familiaribus suis, quia sic volente Domino fieri oportuit. Ad mediam horam vel circiter semel tantum id ab una familiarium observatum est, sed nec antea nec postea contigit ei. De apoplexia vero quoties accidit nescio. Interrogata quoque quomodo se tempore dementiæ habuisset, respondit. Nil aliud mihi videbatur, quam sensus meos per aëra sparsim volare seu circumferri.

[355] Ut autem Dei feminæ gloriosior corona perficeretur, cœpit ad ultimum in regione cerebri, quasi malleationibus novis, admodum contorqueri, & chronicis passionibus adjunctis novissimis, [sævissimo calculo,] quasi sub torculari, denuo cruciari. Nihil quippe aliud vidisses ante mortem nisi corium quoddam, ad calorem ignis contractum, nervis ejus, velut chordis in ligno citharæ, prætensis; ossibus ejus quasi in frixorio confrixis. Calculum autem, de quo prædixerat, quod grossitiem ovi columbæ contineret, & mortem inferre deberet, in regione inferiori signanter duobus mensibus perpessa est; adeo ut infra unius horæ spatium ter usum linguæ perderet, in membris se contrahendo rigesceret, dentiumque particulas præ dolore minutatim emitteret, & pene exanimis jacens adstantes ad amaras lacrymas præ compassione commoveret. De apostemate virgineorum

uberum, [aliisque novis doloribus] de excessivo dolore dentium simul & oculorum, de aliis passionibus quantum circa finem tulerit numquam satis descripsero: quippe qui potest capere capiat, qualiter & quantum possit in virgine Dei spiritus; & postquam ceperit, dicat Ecclesiis. Et si mirabilia Domini, dolorum & internarum consolationum, quis de prædictis noluerit intelligere vivus; forsan quandoque Deo dante discet moriturus: hortatur enim Scriptura, Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. [Psal. 93, 8.]

## CAPUT X.

De mirabilibus factis a Domino circa restitutionem membrorum ejus, & quomodo mortem suam prænoverit atque prædixerit.

[356] Preterea, ne cuiquam detur mordendi vitam pariter & mortem Virginis occasio, qualiter de aliquibus membris ejus, tam exterius quam interius, Deus omnipotens providerit, videamus. [Brachium dextrum resolutum,] Prædictum est superius quia brachium Virginis dextrum ignis materialis, quem vulgus sacrum vocat, usque ad ossa consumpserit; & quod nervi instar chordarum in cithara positarum libere plecterentur; rursumque dictum brachium tempore multo, uno tantum firmiore nervulo pendulum, reliquæ massæ corporis cohæreret. Sane universis præsentia scripta visuris notum fieri velim, quid ante mortem de brachio contigerit. Attestantur litterae Scabinales, quatenus institis ac fasciis ligatam Virginem circa scapulas gyrari oportebat, alioquin in minutas partes, præ membrorum marcore, suo tempore defecisset: cumque universi medici, quemadmodum superius enituit, pariter & chirurgici, [& aliquantulum restitutum,] de sanitate Virginis desperarent; longo demum temporis decursu supervenit quidam, quasi missus a Deo, vir in chirurgica arte peritissimus, qui se, ceteris

membris derelictis in esse suo, brachium ipsum redintegraturum dono Dei spondit. Et facto cataplasmate de balsamo, ut disserebat, non sophisticato, supposuit illud in locum, juxta exigentiam membri patientis & facultatis suæ.

[357] Item & Virgini dixit: Spero in virtute Dei brachium istud in locum suum reponere: [sed ulceribus plenum,] sed id ratum teneas, quod quantocumque medicamine redintegratum fuerit, numquam libera fies ab ulceribus & apostematibus, in musculis ipsius brachii pariter & carne reliqua pullulaturis. Virgo quidem sapienter, uti sapiens erat, hoc audiens, gratias egit: sed quemadmodum vir dixerat, non obstantibus pretiosis cataplasmatibus aut integritate quam chirurgia procuravit, numquam ab hujusmodi erupturis, post hujusmodi clausuram, libera permansit: quinimo usque ad exitum animæ de corpore, nunc pars, nunc totum brachium frequentia apostematum, ut pridie ac nudius tertius, [ac paene immobile, redintegrandum prædicit.] immobile fuit. Quapropter coæqualibus dicebat: Videtis quod brachium dexterum, mihi quondam redintegratum, pro exercitio majori, ob continuo pullulantes ulcerationes seu apostemationes de loco suo movere non valuerim: nihilominus confidens confido in omnipotente Domino, quatenus antequam anima resolvatur a corpore, utraque manu ipsum glorificatura sum in laude: quod & postmodum factum fuisse, sed in loco suo, comprobabitur.

[358] Insuper & hoc silentio prætereundum non reor, [restituuntur eidem intestina sua,] quatenus interiora quædam, utpote pulmonem, hepar, splen, & alia membra contigua, priusquam ad Christum migraverit, in solidum & in integrum rehabuerit, a Domino non dubium restituta. Venerunt nonnulli, curiosi scire plus quam zelosi sapere, ad Virginem, dicentes: Cum sæpe de te, soror, dici perceperimus, quoniam hepar, pulmonem ceteraque

membra præsertim intestina, frustatim emiseris, & vermibus infinitis scaturieris; indica nobis, quomodo sine iis vivere potuisti. Quibus humilis Virgo respondit: Utique verum est, teste Deo & conscientia, quod audivistis, videlicet quod membra illa frustatim amiserim, quæ quondam Deus per naturam contulerat; & quia vermes multo tempore de corpore meo ebullierunt, patulum est; & quod molestum fuerit naturæ meæ dicta pati, non latet: verumtamen quid Dominus de multitudine suæ potentiae postmodum in me suppleverit, [supernaturali quodam modo,] novit hoc ipse. Quasi dicere velit: De membris, quæ natura primitus dedit, per frustula perditis, assentior ita fore ut dicitis: sed suppletionem eorum, quæ gratia Dei sola post privationem secrete retribuit, nec nego tacita, nec aperte vobis revelare curabo. Etenim qui ad formationem Evæ carnem supplevit, & qui naturæ formandi membra corporis concreavit naturam, naturam naturantem, naturatamque præstando Deus, hoc sibi cum ceteris transcendentem retinuit, quod purus physicus capere nescit. Quapropter non mirum si animales homines Virginis verbum non intellexerunt.

[359] Hinc est plane, quod ubi ex factis, dictis, morbis, curis, gratiis ejus plerisque devotis viris ac mulieribus data est laudis magnificæ causa; [& curiosis scrutatoribus impenetrabili;] ceteris philopompis, qui supra se ambulare satagunt, justo Dei judicio, tamquam fascinatis, permittitur mordacis ruinæ materiæ. Sicut enim continet Scriptura: Positus est Dominus in ruinam & in resurrectionem multorum; non quia causam ruinæ dederit, sed habituata malitia hominum ita præsumpserit. [Luc. 2, 34.] Sic forte permittitur & hic; utque est positus Dominus sponsus ejus in signum, cui contradicetur; posita est sponsa ejus electa ut eum imitetur, præsertim a philopompis hujus seculi. Rursum scriptum est: Obscurentur oculi eorum ne videant, [ut de Virgine non præsumeret judicare alius] & dorsum eorum semper

**incurva: nesciunt terreni philosophantes, humotenus dejecti, nondum per fidem theologam illuminati, super astra scandere, nondum quæ sunt spiritus sapere, nondum quam mirabilis sit Deus in operibus suis penetrare. [Psal. 68, 24.] Quid mirum? Contigit interdum etiam aliquem Theologum, nondum decæcatum, sublimia scire, dicere ac trutinare; sed nondum secundum spiritum sapere: quid igitur mirandum, si contingat quandoque dubitare merum physicum, non Theologum.**

**[360] Judicet de Virgine Theologus philobiblius & Scripturarum zelator expertissimus; assentiat physicus, sed cum muliere alienigena pilos abjiciat, ungues radat, vestes lavet; [quam fidelis Theologus,] primitus simpliciter credat utique, quia Deus omnipotens possit; veraciter confiteatur, quia omniscius novit; fideliter arbitretur, quia clemens & bonus velit, in sexu femineo sicut in masculino, in paupere sicut in divite, in barbaro sicut in Græco, in piscatore sicut in philosopho, mirabilia sua supra omnem intellectum efficere, sicut ab ævo & velut a diebus antiquis. Quid miramini in muliercula virgine, paupere Hollandrina, in terra simplicium piscatorum nata, [Dei opera humiliter venerari doctus] Deum ac Dominum tot stupenda fecisse? Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, dum fundavit terram, dum de costa formavit Evam, dum signa sua in medio Ægypti emisit? Quis virgam Moysi in colubrum, & rursum colubrum in virgam convertit? Quis leprosam manum Moysi effecit, & rursum sanavit in instanti? Nonne Dominus? Maria soror ejus septem diebus immunda, & Naaman Syrus a lepra sub Elizæo mundantur: Ezechias moriturus ab Isaia dicitur, & tamen curatur; Moyses in monte & Elias in deserto pascuntur, sine manu mortalis pistoris: Heliodorus flagellatur in templo, nec vidit flagellantem: Hieronymus vapulat in spiritu, & plagas lividas portat in corpore; sistitur in judicio, reperitur tamen in lectulo: videtur Ambrosius in Mediolano, & exequias celebrat Turonis in**

**Francia. Quid plura? cæcus videt, claudus ambulat, leprosi mundantur; Angelus descendit in piscinam, & aqua movetur; omnes quidem currunt aut portantur, sed per diem tantum unus mundatur; Petronilla clinica protinus a Petro surgere jubetur, surgens ministrat, & post ministerium iterato in lectum suum redire præcipitur.**

**[361] Quis omnium istorum & infinitorum aliorum, tam naturalium quam supernaturalium operum, [& eorum non quærere rationem:] mihi dabit rationem? Nonne dices, quia Dominus hoc facere potuit, & hoc facere novit, & hoc facere voluit? Dominus, inquam, virtutum, Dominus Sabaoth, Dominus creaturarum omnium, Dominus universæ terræ. Unum igitur opus fecit Dominus in terra nostra Hollandiæ, & omnes miramur: totum hominem formavit, totum hominem prostravit, totum hominem exteriorem a planta pedis usque ad verticem capitis vulneravit, totum hominem pro libito suæ voluntatis rursus curavit: & quis eum reprehendit? Nonne Scriba curiosus, nonne Judæus invidus, nonne carnaliter sapiens? Qui igitur de his omnibus pie sentire voluerit, [hoc enim stultum est] non dicet impossibile omne verbum, quod de Domino hactenus in Virgine factum, dictum, aut scriptum est: qui vero duræ cervicis est, respondeat ad ea quæ superius tacta sunt, & concedimus ei; sin autem, captivet intellectum in obsequium Christi, addiscat sapientiam veri non fumivomi Theologi, assumat formam humilis discipuli, & credat nobis; proinde confiteatur, quia potens est Deus visitare corpus & animam hominis, nunc alterum vel utrumque simul passionibus, nunc ulterutrum consolationibus refovere; nedum in uno atque eodem corpore, sed & eodem tempore, videlicet mense, die, hora: sicuti oculata fide in aliis Virginibus in Hollandia & alibi indies experimur.**

**[362] Numquid abbreviata est manus Domini? An oculus hominis nequam, [divinæque potentiae injuriosum.] quia**



**solus Deus bonus est? Et dico: Dominus percutit & sanat, vulnerat & medetur, pauperem facit & ditat, mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit: & omnium operum ejus causam investigare stultum atque periculosum est. Si quis nucleum nosse cupiverit, dicam illi, Dedit revera gratiam tantam Dominus Virgini suæ patientissimæ, ut quando Custos ejus, videlicet Angelus, vel ad modicum movere dignabatur eam vel tangere, frequenter facies ejus resplendebat splendore nimio, corpus vero instantanea roborabatur integritate, odor fragrans diffundebatur e membris ac pectore, suavis utique valde. Quid plura? manebat nihilominus ad surgendum impotens, & ad sustinendum capax; ad ægritudines valitura, volutabatur ad consolationes divinas; rursum mendica visitanda diluculo, probanda subito simul in eodem corpore eodemque subjecto. Quis sapiens & investigabit hæc, & intelliget misericordias Domini? Sed quid? Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit: pertinaces vero in omnibus peccabunt adhuc, nec credent in mirabilibus ejus.**

**[363] Ipsa quoque longe priusquam migraret a seculo, [Intelligit Virgo se jam cælo maturam,] pluries dissolutionem sui tabernaculi præscivit atque prædixit imminere. Consueverat siquidem, ab initio visitationum Domini, Confessori suo nec non & aliis familiaribus, palliatis verbis, qualiter arborem admirandæ speciei, plenam rosarum gemmis vidisset, dicere; & quomodo ab Angelo intellexerat non visuram se mortem, donec arbor eadem plenum susciperet incrementum, gemmæque rosarum quas viderat patulam acciperent aperturam. Et cum quæreretur ab ea, si dicta rosarum arbor ad perfectum usque venisset, respondit, Arbor illa paene & plene concrevit, gemmæque rosarum adapertæ sunt: ea propter de proximo me resolvendam non diffido.**

[364] Una quoque dierum, dum sic solitaria jaceret, rapta est dulcedine quadam spiritus in paradisum, ubi tres portas vel introitus contemplabatur: [sed pro utilitate proximi adhuc modicum differri:] & cum ad introitum primarum duarum admissa fuisset; vidit ex tertio radios splendidiferos emicare, qui supra modum, radios solares excedere videbantur; ad interiora vero tertiæ portæ, cum præstolaretur intrare & jam illuc gressum tetendisset, occurrit ei avus ejus, cujus vitam in principio deteximus, videlicet Ioannes Petri, qui cum apertis brachiis atque familiari contuitu, quasi eam introducturus, advenit; sed ad ultimum dilectæ filiæ dixit: Dulcissima filia mea, nondum tibi ingressus patet in hunc locum: etenim utile non foret eis, qui tuum sibi postulant adjutorium; nec cederet tibi ad meritum, minus animabus in purgatorio conferres suffragium, minusque Domino dares honoris & laudis sacrificium. Porro cum perfeceris omnia quæ Dominus decrevit de te, libera conregnatura nobis ipsa conscendes. At vero felix nimium Virgo, cum ad se reversa fuisset, gloriæ quam viderat fit sane cupida, & verborum senioris memor plerumque anxia; nihilominus ad patiendum quæcumque vellet Omnipotens, pro honore suo seu proximorum & sua salute, promptissima.

[365] Successit post hoc nocti dies, tenebris lux, & pœnis unctio tanta, [Priori cuidam e visitanti] quod cum Prior quidam Venerabilium Canonorum Regularium S. Augustini, ab ea rogatus concito gressu venisset; tantam ibi sensit suavitatis fragrantiam, ut de promptuario visitationis divinæ jacentem Christi filiam ac sponsam non dubitaret advenisse. Sedit igitur juxta eum Prior Canonorum venerabilis, & profusis verbis cœperunt alterutrum loqui de cælestibus gaudiis. Tandem desiderio flagrans conclusit Virgo dicens: Rogo te, dulcissime Pater, quatenus in his Paschalibus solenniis, dummodo commode possis, ad me filiam tuam perperculam redire digneris; latius autem forte collaturus de his quæ in præsentiarum

concepimus: si tamen me superviventem non inveneris, orato quæso pro me. Quo facto patuit, quoniam Paschale cum suis Sanctis decantaturam Alleluia se credidit, quæ necdum divinis colloquiis satiata de gaudiis cælestibus, [indicat obscure, se morituram in Paschate,] ipsum fontem vivum videre, de ipso pleno haustu bibere, in ipso semper vivere, sitiens sitiebat. Nempe se in diebus Paschalibus deponendam, vivæ vocis oraculo quibusdam prædixit: sed diem explicare noluit. Optaverat enim sola cum Christo remanere moriens, futuro tempore, sicut in sequenti capitulo clarius apparebit: quapropter determinatam horam aut diem non insinuavit.

[366] Quidam autem eo tempore interrogabant eam, [neque miracula facienda in sua morte,] an tempore sui transitus aliqua miracula Dominus ad gloriam sui nominis facturus esset: & si forte disposuisset, eam de terra post mortem elevare. Quibus ipsa respondit: Putant, inquit, simplices homines in morte mea mirabilia se visuros de me, sed non videbunt: verumtamen quid Dominus facturus sit post transitum, non interest mea perscrutari nec dicere: quoniam creatura & instrumentum ejus sum, illique subjecta est anima mea. Proinde deprecor instanter omnes amicos meos, tam præsentem quam absentem, quatenus infra trigesimum annum post sepulturam meam non me moveant: sed quid post tringinta annos Dominus operari voluerit, solus ipse novit. Donavit illi Dominus per spiritum videre formam sepulturæ, sicut aliquibus revelavit in vita: ex qua re ne super nudam humum simpliciter poneretur devote supplicavit; [& sepulturam præordinat.] viso quia solo Deo duce ac magistro, contra naturæ morem, ultra annos triginta pes infirmantis & languidæ terram hanc corruptibilem non calcaverit unquam. Statuit quoque Virgo suæ sepulturæ, sicut ab Angelo acceperat, omnia necessaria præparari: insuper & domesticas hortabatur, quatenus omni dilatione semota corpus emortuum

sepelire sollicitarent. Sic quod suum erat mulier sancta cum omni humilitate proposuit & fecit: sed ad gloriam suam aliter Dominus disposuit & effecit, tamquam nimirum qui gloriosus est in Sanctis suis, mirabilis in vermiculis, faciens & facturus prodigia multa.

## CAPUT XI.

De mirabili unctione Virginis hujus, nec non de felicissimo transitu ejus ex hac vita.

[367] Vergente igitur vita ejus ad occasum, cum jam instaret dies nuptiarum Virginis, [Erratorum veniam postulat Virgo a domesticis,] jussit ad se convocari omnes domesticos, quibus insimul aggregatis in hunc modum prorupit: Rogo, inquit, humiliter & deprecor vos omnes in Domino Jesu Christo, ut quidquid per negligentiam aut incuriam meam, verbo vel facto, adversus vos aut vestrum quempiam, paupercula deliquerim, illud mihi de cordibus vestris indulgere dignemini, propter pium Deum: cujus caritati vos de cordintimis meis ex nunc & semper recomendo. At illi tenerrima compassione suffusi, pro lacrymis lacrymas, pro precibus preces, pro votis vota reddentes, dixerunt: Nostram, o carissima soror, non offendisti verbo aut facto præsentiam; sed omnimodæ virtutis ac patientiæ nobis exemplar extitisti; qua de re bene faciat tibi misericors Dominus, præsertim in die qua te vocaturus fuerit. Nostri tamen miserta, quæsumus, dum veneris in amplexum Sponsi atque in regnum Patris, memor esto.

[368] Quisnam hæc videns & audiens in lacrymas non resolveretur? [collacrymantibus,] O si pro certo certum diem sui transitus agnoscerent, quomodo sustinerent? Plorant & sperant: timent & nutant: collacrymantus, ignorantes quoniam auferetur ab eis in proximo Lydwina, sanctæ patientiæ speculum, excellentissimæ famæ Virgo,

sacri vestibuli lumen, devotarum animarum jubar, continentium omnium currus insuper & auriga. O quam luctuosa dies igitur dixerim domesticis? Si matrem-familias perdere, si filiæ familias promptuariam præmittere, si convicanei cellam illam pigmentariam evolare prænovissent; nedum affuisset necessariarum consortium, nedum affuisset devotum vicinorum contubernium, nedum affluxisset omnis multitudo civium, [neque scientibus tam prope ejus finem adesse,] sed & cunctarum vicinarum urbium populus turmatim concursasset. Fuisset haud dubium, propter famam ipsius Virginis, quæ totam regionem perculerat, tam innumerabilis plebis tumultus ejus in extremis; quod verosimiliter, ut post transitum ejus postmodum apparuit, periculum aliquod fuisset subsecutum. Ea propter Dominus dilectam prævenire dignatus est secreto silentio, ne fortassis ante porcos margarita jaceretur.

[369] Nempe nostra victoriosa virago, sub malleo supremi architecti mirabiliter expolita, [quæ jam festinabat absolvi & esse cum Christo,] & sub artificio cælestis Bezeliel mirabilius deaurata, cum dies proxima Paschæ rutilare cœpisset, immenso gaudio perfunditur; atque in Resurrectionis Christi gloriam, quamvis perfunctorie, dulciter modo ineffabili absorbetur. Siquidem amodo pondus gloriæ Dei fatigata non sustinens, instantissime deprecatur Dominum, quatenus pro libito voluntatis, Passionis suæ vernaculam, in odorem unguentorum suorum, trahere dignaretur; quam tot annis virga sua & baculo consolatus est, in hoc mortali carcere. Non enim poterat, præ redundantia teneritudinis lætitiæ, quam Dominus tum temporis ei familiariter ostendebat, amplius corporis sarcinam ferre: quapropter cum Paulo liberari de carcere mortis hujus desiderio desideravit instantius, ac Pascha cum Christo & fratribus suis manducare perenniter in gloria, postulavit.

[370] [a quo in die Paschæ (ut ipsamet revelavit post mortem)] Sane igitur qui solus percusserat, solus mederi studuit; & qui solitariam suis stigmatibus insignire voluit, cum iisdem sponsam suam sacra unctione, ipso die Paschæ, perungere non abhorruit. Quod autem de Unctione dicturus fuero, id ab eis accepi, quibus ipsa post mortem Virgo devota Lydwina personaliter dignata est revelare. Nec mirum si solus solam in secreto conclavi perunxerit Dominus, quia simile de nonnullis pie creditur contigisse. Simile dicitur de B. Dionysio, quem celebrantem Parisiis in carcere, suo Corpore communicavit Dei filius, dicens: Accipe hoc, care meus, quia maxima mecum est merces tua. De B. Antonio Paduano dicitur, quia Fratribus sacram Unctionem deferentibus dixerit, Habeo Unctionem hanc intra me; sed etsi necesse non sit ut mihi faciatis hæc, verumtamen bene placet, & utile mihi est. Quibus exemplis satis claret, Christum Jesum, suæ salutis, quam effecit, ministrum iterato fieri, aliquando non dedignari; maxime hujusmodi, quibus vel meritum, vel solitudo, vel privilegium operæ pretium est, cujusmodi Virgo nostra fuit; meritis plena, ulceribus circumfusa, sub domuncula latens, populis famosa, Christi stigmatifera, non dubium extitit præ cunctis virginibus nostri temporis singulariter singularis & admiranda.

[371] Cum igitur cunctis domesticis absentibus, in ipso diluculo diei Paschæ contemplando jaceret; [in magno sanctorum comitatu apparente,] ecce de summis cælorum advenire Dominum Iesum Christum vidit: quem diu, prænuntiante Angelo suo, venturum expectaverat, cum beatissima genitrice sua Maria, cum duodenario Sanctorum Apostolorum numero, Sanctisque permultis & Angelis regni cælestis. Posuit autem se Dominus Iesus ad dexteram lectuli, gloriosa vero mater ejus ad sinistrum ejusdem, ceteris omnibus existentibus decenti ordine per circuitum. Vidit denique ibi mensulam ornatam atque in

eo vasculum decentissimum, quasi sacri unguenti contentivum, crucem pulcherrimam & cereum luminosissimum, qui totum cubiculum miro modo illuminabat. Porro quia totum corpus ejus tunc temporis universis angustiis, a summo usque deorsum, quassabatur; placuit ei; cui morituro non fuit species neque decor, dilectam Unctione sacra communire. Supervenit enim splendor circumfulgens totum corpus virgineum, ita ut sese, [coram eisdem inuncta,] reverenter discoopertam ab Angelis, minime videre in illo lumine valeret. Vidit proinde Dominum Jesum Christum in medio tam mirandi splendoris, quasi Sacerdotem præparatum, indutum & ornatum, atque singula membra corporis ungi solita, sine aliqua prolatione verborum, inungi persensit. Quibus quidem perunctis, tegumentum revolvi supra se rursus ab Angelis percepit.

[372] Christus quoque cereum in manibus ejus dedit, & cum matre sua tenuit: Crucem autem, [certaque quod absque purgatorio esset ad cælum transitura,] usque ad horam transitus invisibiliter duraturam, illic stantem reliquit. At illa, cum peruncta foret, cœpit Dominum deprecari dicens: Obsecro piissime Domine, ut sicut per temetipsum ad me parvulam ancillam tuam inclinare dignatus es, tuisque sanctissimis manibus corpusculum meum inungere non abhorruisti; quatenus vitæ terminum sic passionibus & doloribus ampliare velis, ut ergastulum corporis exiens, vultum tuum sacro-sanctissimum sive alio purgatorio valeam contemplari. Cui Dominus: Audivi, filia, orationem tuam, & exaudivi te: post biduum cantabis Alleluia cum sororibus tuis Virginibus in regno Patris mei. Et his dictis, disparuit. O quam magna lætitia circumfunditur, quæ post biduum sic ad epulas a sponso vocatur! o nobile depositum, quod tanti Pontificis ministerio potitur, quod tam sancta unctione delinitur, tantoque officio & beneficio visitatur! Numquid talis phœnix visus est in terra nostra? numquid aquila talis

medullam talem attraxit? Utique rara avis, magnarum alarum plena plumis, volavit ad Libanum, & tulit inde medullam cedri.

[373] Post hujus quippe unctionis suavitatem, socium Angelum & collegam habebat, cum quo velut amica cum amico familiariter loquebatur. Intellexit quidem Dei sponsa, propter hoc se pauperulam, in ministerio Unctionis, soli Domino reservatam; quandoquidem corpusculum, vermibus olim patulum & infinitis mortibus deformatum, soli Domino dedicaverat; & spiritum in membris virgineis illibatum servans, sub spiritu patientiæ depuratum atque possessum, velut holocaustum medullatum sacrificarat. Crucem autem ideo relictam accepit, ut torcular mortis calcaret sola; [& novæ fragrantiae suavitatem sperans.] & omnem cogitatum omnemque congeriem passionum ad finem ipsum, in ipso qui nudus & solus pependit in cruce, protinus jactaret. Mane itaque facto, cum nullus viventium adhuc nosset quæ facta fuerant, venit D. Ioannes Walteri Confessor ejus more consueto, ut de micis ejus & visitationibus quantillum sortiretur. Viderat enim illam nocte illa per spiritum, cum Angelis & Sanctis gaudentem & jubilantem: & ideo magis magisque novitatis aliquid, odoratu, visu pariter & auditu, a Virgine studuit investigare; & veniens, tam excessivam quamdam quasi balsamati unguenti fragrantiam odoratus est, ut ore, naribus totisque sensibus satiari non valens, in ebrietate quadam spiritus inferret, dicens: Congaudeo tibi, soror, atque summopere congratulor, quoniam hac nocte fueris in jubilo. Scio enim quod Dominus te sua bonitate visitare dignatus est; & quia vestigia suavitatis hæc reliquerit, oppido patet. Dico igitur mihi, quomodo tecum agitur? Nonne se venturum in brevi Sponsus tuus prædixit? numquid Alleluia novum cantabitur. [fatetur Confessario brevi se morituram.] Obsecro te, filia, si fieri possit, dicere ne pigriteris. Cui beata Christi sponsa, dixit: Gratias ago



**Domino Deo meo, quoniam ancillam suam absque meritis meis visitare dignatus est. Sed id velim noveris, quia statim crescent labor & dolor in corpore nimis. Ceterum te latere nolim, quando decantare noverim novum Alleluia: spero præterea me cum, illis quos vidi illud ipsum cantaturam, leviusque & mitius me habituram omnino nullatenus diffido. Quod plane de morte sua vel transitu dictum non ambigimus, sicut postremus tertiæ diei Paschalis ostendit eventus.**

**[374] Porro cum illustris Dei famula Dominum sedula prece multo tempore rogasset, [feria 3 Paschæ petit sola relinqui, cum puero] quatenus absque cujusquam hominis consolatione solitaria mori posset, tamquam sola cum Sponso torcular calcare gestiens; ut non remaneret vir aut mulier in domo de gentibus omnibus secum, pia industria laboravit. Adveniente quippe feria tertia Paschæ, qua se resolvendam sacratissima Virgo non dubitabat, convocatis omnibus peculiaribus domus suæ, quos ad manum habere potuit, sic congregatos in cellula alloquitur, dicens: Si gratiam invenerim coram oculis vestris, o Pater Confessor, & vos omnes qui adstatis fratres & amicæ, suppliciter ob misericordiam Dei vos deprecor, quatenus hac die solitariam cum solo puero, videlicet nepotulo meo Balduino, me relinquatis. Insuper veros amicos & domesticos vos dixero si solam absque visitatione dimiseritis: verumtamen dum quemque voluero ex vobis, nepotulum meum destinabo. O Christianissima filia, veræ devotionis omnibus in hora mortis exemplar, quæ sola cum solo torcular pœnositatis tuæ calcare satagis; [volens solitaria mori.] numquid tibi suffecere dolores ut parturientis, quos hactenus in spiritu vehementi, in corpusculo marcenti sustinuisti? Vix verbum formare vales, & sola in agonismo decertare contendis? An præsumptio te fortiter cum Christo solitariam agonizare compellit, an devotio? Numquid non Deum tentare formidas? Sed forsitan Dominum tecum esse,**

tecum pugnare, tecum usque ad finem perseverare non dubitas. Age quod agis, mulier agonista fortis, procul dubio in finibus terræ victoria tua. Etenim Dominus tecum, mulier fortissima; Dominus, inquam, o Christi sponsa tecum, qui te laureandam non relinquit. Jam tua res agitur, o fidelis agonotheta: in proximo est Dominus, o vulnerum Christi bajula: ut per quem absorpta est mors in victoria, te sibi fidelissimam non deserat, sed fidelem agonothetam coronet.

[375] [Omnibus ergo digressis,] Nempe in illo triduo plene non vidit eam in facie quisquam, quia sacramentum Regis summopere nitebatur abscondere, & amodo soli Sponso cunctis abdicatis apparere. Plane si ipso die morituram prænovissent, etiam adiuratæ minus discedere potuissent, sicut mihi aliquæ retulerunt, quæ præsentialiter eo mane tunc licentiantem audiverunt. Sperabant enim omnes se visuros eam de proximo, putantes more solito Virginem eo tempore aliquid acturam secrete. Et cum omnes de domo remotius abiissent, cœpit Virgo suum agonem Domino fideliter commendare; & a septima hora usque ad quartam post meridiem, propter cruciatum aut stimulos calculi, laborare spasmodicis doloribus & rigescere; [patitur extremum agonem,] de pectore diro vomitu vigesies torqueri; fellis particulas emittere; sicque solo puero ministrante sibi, dolore cordis tandem moriens, fractis verbis, ut potuit, dicere: Dilecte fili, utinam sciret Dominus meus quantum coarctor in hac hora. Puer autem lacrymans, cum ignoraret quid acturus esset, turbatus nimirum ait: Visne, amica mea, ut ad te vocem Dominum Ioannem Confessorem tuum?

[376] [& a subito advocatu,] Cum igitur interim orificium gutturis, diro vomitu cruciatum, officium loquelæ non admitteret nec respiraculum; putabat eam puer in illis defectibus defecturam & extinguendam, & currens vocavit

**Confessorem, Dominum videlicet Ioannem Walteri, qui magnopere Virginis noverat secreta, aliasque domesticas quas invenire potuit cum fletu convocavit. At illi collacrymantes ad eam cum venissent, viderunt quia defecisset in dolore vita ejus: & cum non esset vox neque sensus, quid super ea fiendum esset, admodum inter se cunctati sunt. Unus autem accensa candela, putabat eam agi sursum in sublimibus: alius si superviveret tentare volens, apponebat os & nares proprius: [mortua invenitur,] alius autem ad Virginis aures, an sacram Unctionem habere vellet, vocibus luctuosis inquirebat. Ecce fletus, ecce clamor & dolor, ecce turbatio totam domum replent. Et quis non fleret? & quis inopinate sublatam de medio sine lacrymis Christi sponsam commemorare posset? Numquid non in calcando torculari sola, ut poposcerat, defecit? nonne sub calculo dirissimo, quemadmodum longe ante dixerat, contorta spiritum cælo reddidit? Pium igitur est deflere Lydwinam, inopinato sublatam: pium magis congaudere Lydwinæ, in cælum deportatæ.**

**[377] Postremo autem, suggerente spiritu, factum est, ut quædam de circumstantibus mulieribus, [brachiis sanis apteque compositis,] Catharina nomine, verbi recordaretur, quod Virgo, dum adhuc viveret, de dextra manu dixerat, & hæc coæqualibus ait: Sinite videamus dispositionem corporis sui: quia reminiscor eam dixisse frequenter, quatenus se Deum sperabat utraque manu magnificaturam ante mortem. Si igitur manum manui conjunctam invenerimus, profecto noverimus eam ad Dominum abiisse. Et intuentes eam, invenerunt digitos utriusque manus sub uberibus se contingentes, juxta Virginis verbum quod locuta fuerat: quodque magis est, invenerunt omnes & viderunt cingulum ejus ultimum, quo ad carnem citra mortem suæ matris usa fuerat, [& cingulo citra solutionem nodorum remoto a corpore:] manibus Angelicis de corpore ablatum, illæsum juxta scapulas**

positum, nexibus aut nodis omnibus inviolabiliter, uti ad corpus succinxerat, conservatis. Talibus autem cilicinis cingulis, tamquam baltheis militaribus, quantiscumque ægritudinibus quotidie laboraverit, citra mortem matris, jugiter cingebatur: & hoc ultimum cingulum ejus in triennio ante mortem non deposuerat unquam, nec homo vivens tempore intermedio viderat; deponendum haud dubium manibus potius Angelicis, sicque hominibus manifestandum post obitum. Sane credendum est hujusmodi cinctorium, illius virtute, sine solutione nodorum, de corpore Virginis abstractum extitisse; qui per se clauso sepulcro, suæ subtilitatis dote, non obstantibus custodibus, [quod deinde demonibus formidabile fuit.] quondam resurgens exivit; & relicto illic sudario, signatum lapidem, qui ad ostium monumenti positus fuerat, revolutum foras dimisit. Servatur usque in præsentem diem cinctorium illud, mirum de se reddens odorem: quod manibus meis contrectavi, dæmonibus usquequaque quemadmodum expertus sum onerosum. Itaque qui baltheum Regum dissolvit, & succingit fune renes eorum, fecit omnia hæc.

## CAPUT XII.

De gloria suæ benedictæ animæ, in qua post mortem visa est a quibusdam; nec non de mirifica redingratione ac formosa dispositione corpus ejus.

[378] Claruit plane quomodo sacra nostra virago, quasi peregrina in hoc mundo, [Apparet suo Confessario in specie pulcherrimæ columbæ,] secundum votum cordis sui, dormitionem in Domino acceperit: sed qualiter Patri sibi dare complacuerit regnum, nondum emicuit; patebit autem clarius, dante Domino, per ea quæ subsequuntur. Siquidem imprimis Confessor ejus, cum jaceret in stratu suo nocte, vidit apertis oculis illam beatam animam, in specie nitidissimæ columbæ, cujus collum cum rostro

totum aureum videbatur, pedes ejus rubicundi & corusci, pennæ vero alarum deargentatæ, corpus vero reliquum instar nivis candidum valde. Quid enim sibi quæso velint omnia ista? Species quippe columbina, nonne fœtum multum significat? Et quidem tota formosa Lydwina nostra, sicut columba domestica, peperit Christo plurimos. Quid rostrum deauratum? nonne verba Virginis aureave documenta designat? Numquid collum auro simile obedientiam ejus, quo jugo Domini se ultroneam submisit, multipliciter clamat? Quid aliud pedes rubri ac rutili, quam Passionis Christi vestigia imitatam fuisse, protestantur? Pennæ vero deargentatæ columbæ, sane, ni fallor, contemplationis ejus perspicacitatem indicant. Utique dicit Psalmista, Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam. [Ps. 54, 7] Candor corporis reliqui niveus, puritatem animi ac corporis mihi insinuat. Sic igitur dormiens inter medios cleros gloriam accepit: sic alarum deargentatarum columba nostra ad Libanum volavit: sic posteriora vitæ languentis sponsæ, demonstrantur in pallore auri.

[379] Virgo quædam, ut pia fama creditur, Deo grata, [Virgo quædam videt eam a sanctis excipi:] soror dicti Presbyteri, cum venerabile depositum custodiret, nec ex toto vigilans nec dormiens, sed tantum levi quadam obducta somni nubecula, vidit electam Dei sponsam per sanctos Angelos ad æthera subvehi, animasque Sanctorum cum ingenti lumine sibi venire obviam, atque dicentes: Bene veneris nobis, pia soror Lydwinula: utique bene venisti: etenim nobis adventus tuus jucundus in Domino nova gaudia profert. Sic igitur factus est Virgini cælestium tympanistriarum gratus occursum, sicque citharædorum citharizantium sponsæ factus est benevolus applausus, sicque quoque lætantium nostræ terrigenæ obviavit cælestis Verbigenæ venerabilis conventus.

**[380] [alteri apparet sponso suo conjuncta.] Vidua etiam quædam, huic nostræ defunctæ purissimo corde devota, cum medium inter somnum & vigiliam, prima lucubratiuncula noctis, observaret; vidit advenire quasi collegium Virginum & aliorum Militum, cameram suam ingredientium, ad mensam nuptiarum seriatim se præparare; illicque venire juvenem pulcherrimum & consedere: Lydwinam vero, sponsaliter, more imperialium præparatam & ornatam, e regione cum viro suo residentem: quæ viduæ dixit: Memento, soror mea carissima, quomodo tibi sæpius in carne vivens dixerim, quatenus Sponsum decorum in cælestibus habitura forem, præ cunctis filiis hominum speciosum. Videsne nunc quia castissimis ejus amplexibus juncta sum, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi? jamque dulci ejus fruor præsentia, qua nec ad momentum privabor umquam. Cui vidua respondit: En tibi congratulor atque congaudeo: jam enim quid sibi velint nuptiæ, de quibus sæpe memoravimus, cerne: jamque vident oculi mei diem gloriæ tuæ, magnæ nimis. Siquidem venerunt dies nuptiales Lydwinæ: & datum est ei ut cooperiatur bysso candida atque splendenti.**

**[381] [Duæ virgines ægre, locis discreta,] Fuerunt diebus istis novissimis virgines duæ, mihi notæ, fama & re utique sapientes, quæ sub manu Domini castigabantur, sed non ad interitum, magis autem ad salutem. Harum autem una, in remotis agens, tenerrima pietate Virgini Lydwinæ admodum compati consueverat quoad vixit: [anxiæ de solitudine Lydwinæ,] altera vero sola vulgari fama notitiam conceperat & amorem. Igitur dum ambæ de tam solitario a Virginis obitu in animo aliquantisper angerentur, eo quod nullus esset qui narraret de fine illius; præmissis votis ac precibus, de transitu ipsius acceperunt per spiritum a Domino tale documentum. Quadam autem nocte, utputa decima quarta mensis Aprilis, ea videlicet die qua nostra sacra Lydwina**

migravit ad Patrem, factae sunt in excessu mentis, & viderunt locum, in quo corporaliter dies infirmitatis cum gemitibus & doloribus infinitis transegerat. Cumque simultim tempore, loco, modo, [simul eam in spiritu vident,] etiam objectabiliter concurrerent in spiritu, viderunt Lydwinam, quasi ipsa hora in agone laborantem (quam tamen numquam in carne viderant) prorsus ab hominibus derelictam, & quasi omnimoda consolatione privatam.

[382] Porro ubi in illo tam miserabili decertasset agone, deventum est ad emissionem spiritus. Et ecce mox viderunt Dominum Iesum, [& quomodo, post quam animam sponso præsentì commendasset,] quasi sponsum procedentem de thalamo, cum beatissima matre sua, nec non cum Angelis & Sanctis multis, seriose lectulum Virginis ambientibus per circuitum. At ubi sponsus Dominus sic juxta eam stetit, cœpit eam suaviter invitare: cœpit &, juxta pristinum Virginis votum, dilectam de ergastulo corporis dulciter evocare. Ipsa quidem, reciproco dilectionis affectu, spiritum suum in manus ejus sategit commendare, dicens, Domine mi Jesu Christe, tu noste omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus. Tu igitur unicus meus & desideratus meus, ac redemptor meus es: suscipe quæso spiritum meum. Cui rursus Dominus; Veni electa mea, quia amodo spiritus tuus a laboribus requiescet: veni sponsa mea, ut mecum epuleris in regno patris mei: veni columba mea, ut recumbas cum sororibus tuis in cubiculo meo. Tunc ipsius Virginis anima, quasi a carne soluta, visa est exilire in amosissimos amplexus Iesu, atque ab eo suscepta immorari paulisper, quasi dilecta innixa super Dilectum suum.

[383] Porro cum aliquamdiu Sponsus animam sponsæ in ulnis suis tenuisset, [ab eo Virgini matri,] visus est eam exhibere genitrici suæ Mariæ; quæ quasi filiam

deosculans & ad pectus adstringens, dedit eam ductori suo Angelo, qui comes & director ejus fuerat in vita. Qui cum assumpsisset eam, facta est cum eo multitudo cælestis exercitus, laudantium Dominum & invitantium ad suum consortium. Viderunt etiam hanc beatam animam bysso candidissima tunc indui, [& ab his Angelis tradita,] seroque vernantium rosarum desuper coronari, sicque Cherubica claritate illustrem, Seraphica caritate flammiferam, coram Domino præsentari. Cumque tota cælestis civitas quasi de adventu novæ hospitis exultaret, [gloriose induta ac coronata,] cœpit eam invitare Dominus dicens: Veni electa mea, suscipe coronam quam tibi præparavi in æternum. Et eo dicto, pacis osculum, Angelis gaudentibus, a Sponso accepit. Porro statim veste purpurea, stillifera, ac splendida superinduitur; cyclade cælestini coloris, gemmis pretiosis relucente, circum amicitur: deinde posita est corona super caput ejus, quæ margaritis & lapidibus pretiosis per rotundum inserta erat, quam & sertum admirandæ speciei & pulchritudinis desuper coronabat. Et cum sic a Domino coronata, cantantibus Angelis hymnum, Iesu corona virginum, Virgini virginum Mariæ præsentaretur, obtulit ei torquem auream cum pacis osculo: quam inæstimabilibus gemmis contextam circumdedit collo ejus. [choro Virginum juncta fuit.] Demum post hæc visa est duci ad chorum Virginum: quæ similiter cum Angelis Responsorium, scilicet Regnum mundi, cantantes, quasi nuptam novam Agni ac sociam, in suum consortium venerabilissime receperunt.

[384] Hoc autem vidisse virginibus pro consolatione & corroboratione suorum animorum sufficiat; nec non & pro repressione blasphemorum, qui judicant de solis accidentibus suaviter morientium sibi notis, & qui nequaquam innituntur veritati Scripturæ dicentis, Justus si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit. [Sap. 4, 7] Quid putas, o lector, sibi volunt duarum virginum, separatim existentium, spiritu tamen in unum



concurrentium, non somnia, sed ostensa mysteria? Nonne de benefica largitate Dei, essentialis illa gloria, quam Theologi Auream appellant, datur Beatis? Quis sanæ mentis Virginem nostram Lydwinam cum Aurea etiam & Aureolam ipsam promeruisse cunctabitur? [Aureola multiplici decoranda.] Nempe quæ cum Angelis caritatem, cum Patriarchis fidem & misericordiam, cum Prophetis futurorum & cordium notitiam, cum Apostolis paupertatem, cum Confessoribus abstinentiam, cum Virginibus cœlibatum eminenter tenuit; quæ jugiter triginta tribus annis, sub tam diutino languore, in abjecto tuguriunculo jacuit; quid mirum si inter Sanctos gloriam tantam acceperit? Hymnus igitur omnibus Sanctis Dei in adventu tam splendiferæ sponsæ, gloria filiis Israel, laus omni populo appropinquanti sibi: quippe suscitans de terra egenum, & de stercore erigens pauperem, statuit nota fieri hæc omnia, quia scriptum est, Sic honorabitur quem Rex voluerit honorare. [Est. 6, 9]

[385] Sane cum vir desideriorum Ioannes, Confessor Virginis, qui Virginis animam in specie columbæ; verissime fuerat contemplatus, [Confessor Lydwinae,] in crastinum, videlicet feria quarta post Pascha, venisse dicitur ad locum, ubi sacrum pignus virginei vasculi servabatur: mox ut intravit, tantam ibi suavitatem & suavis odoris fragrantiam percepit, [miri odoris fragrantia recreatus,] quantam prioribus temporibus, quoad vixerat beatissima mulier, umquam se persensisse recolebat. Non enim aliud sibi videbatur domus mortuæ Virginis, quam locus aromaticus, promptuarium unguentorum, cella balsami: adeo ut potius domus Beatorum, Angelorum officina, & habitatio alterius seculi, quam lutea domus hominum crederetur.

[386] Hic igitur, cum, revelante sibi Angelo, qui qualiterve contrectandum corpus sacratissimum Virginis, [jubet faciem mortuæ linteo abstergi:] & quanti apud Deum

meriti foret, noctu didicisset; confestim ut intravit domum, lacrymari cœpit, & geniculatus coram omnibus eam veneravit. Quo facto, juxta oraculum Angeli, uni earum quæ servabant corpus præcepit, quatenus sumpto panniculo lineo virgineam faciem tergeret; sciens quod sub illo squallido colore, quo moriens e seculo transierat, novus decor novusve splendor faciei resplenderet. Ecce mysterium dico vobis. Statim autem, cum una ex iis fecisset quod fuerat imperatum, [quæ mox splendida apparet,] ecce prodiit facies ejus candida instar imaginis exquisitæ, pictoris egregii artificio studiosissime depictæ. Deponentes quoque vestimenta, quæ circa corpus eo tempore posita fuerant, invenerunt corpus reliquum pulchrum, planum, solidum atque perfectum quasi eadem hora purissimo colore per omnia membra delibutum.

[387] [uti & reliquum corpus omnino redintegratum.] Quis nunc philopomporum nostrorum aut oblatratorum divinæ sapientiæ, quis nunc Averroës tuæ physicæ bibulus, corpusculum tot speciebus aut modis ægritudinum transmutatum, tot dolorum stimulis instar hericii intus confertum, tot vermium scatebris quondam suppleum, tot fissurarum & apostematum fracturis suffossum, in tot partes minutas putrefactum, tot incendiis, fistulis, ulceribus, plagis, pustulationibus, febribus, scabieque tabefactum, humanam effigiem post mortem rursum sibi retinuisse dijudicabit? Quis secundum carnem sapiens de filiis Agar, de negotiatoribus terræ Theman, idem corpus, nunc tot annis moribundum, non habens hominis speciem neque decorem, nunc autem veraciter emortuum, formosum, speciosum, colore splendenti gratiosum, tractabile, ductibile, delectabile fieri posse credet? Proh pudor! Non credet carnaliter sapiens, non Judæus cæcus, non Agareus bliteus & vilis, non inflatus Philosophus, nisi cum Thoma palpet, videat & inquiret, atque taliter ad experimentandum sensibiliter, potius quam pie credendum & fideliter, pertrahatur.

**[388] [insigni miraculo,] O quis orthodoxorum pariter ac illuminatorum Theologorum, si nostram Virginem ita videret, non admiretur, non obstupescat, non magnificet? & quis sanæ mentis, etiam simplex Dei cultor, tanto decore non jucundetur? Quis tam saxeam pectus habet, qui si quondam vidit Virginem tamquam leprosam & humiliatam, nunc vero [videat] glorificam speciem seu faciem prætendentem, non collacrymetur, non congratuletur simul & exultet cum gaudio? Magnus enim Dominus & laudabilis nimis, qui tempore vernali frondes nudatis arboribus revehit, qui pilos novos cervis & hinnulis tribuit, qui plumas accipitris & aquilæ renovari facit, qui maris fluxum & refluxum constituit, cujus non est abbreviata manus; hoc specimen non visum, mortuæ; hoc indicium, contulit defunctæ: ostendens quoniam ipse mirabilis in obitu, mirabilia etiam fecit in vita sua.**

**[389] Magnum siquidem & undique profecto mirabilem sanctumque virum S. Malachiam, de populo barbaro utpote Hibernico natum, [non tantum quia mortua mortis signa nulla habebat,] testatur mellifluus S. Bernardus, eo quod mortuus existens, in vultu nequaquam fuerit pallidior, non macilentior, non rugatus facie, non reconditos habens oculos, non contracta labia, non adustos dentes, non collum exesum & gracile, non curvos humeros, non carnem exinanitam in membris reliquis. Hæc non minus ad laudem Dei & Virginis mirificentiam, stylo licet inculto & barbaro satis, convertenda persenserim. Nihil horum quæ dicta sunt, circa tempus inflictæ languoris, Lydwine nostræ natura donavit: sed plusquam ista Dei gratia post mortem præter & supra naturam contulit. Et quid plura? mortuo corpori decorem dedit Altissimus, quem etiam viventi natura nullatenus dare potuisset.**

**[390] Quæ igitur & qualis imago Virginis mortuæ? Quibus ego: Imago corporis, gratia Lydwine, gloria defunctæ,**

**talis erat. Facies olim propter languorem squallida, [sed magis quia vivens tot modis fuerat deformata.] nunc autem vivax post mortem & candida, vivæ similior quinimo venustior. Oculi ejus profundi & reconditi; nunc autem plani & æquales. Genæ prius tumidæ propter hydropisim, interdum aliter; nunc autem serenæ, coæquales & formosæ. Ceterum nasus ejus ulcerosus, quondam fissus cum fronte; nunc oblongus, solidus ac virilis. Labia ejus pridem scissa, fissa & fracta cum mento; nunc autem decentia, rubentia & integra. Dentes olim comminuti & nigri; nunc autem redintegrati & candidi valde. Collum ejus quondam exesum & quandoque tumefactum; jam redditur nivi similis, planum & carnosum. Et breviter omnis caro reliqua capitis ac corporis, compacta, formosa ac speciosa intuentibus eam.**

**[391] Præterea corpus ejus, quod scatebra fuerat pullulantium vermium; [una tamen mamillarum plenior alia] integrum, planum ac rutilum videbatur, ut dixerunt virgines quæ observabant eam: & ubi saltem fœtorem de se dare debuerat, redolebat ut quarumlibet specierum apotheca. Una mamillarum præsertim, quæ sacræ Nativitatis tempore trina vice lacte, altera minus habente, cælitus intumuerat, virginea carne plena tangebatur. Nusquam in corpore scissura, nusquam fissura vel fractura vel minima potuit inveniri; ubi pustulæ, ubi fistulæ, ubi ulcera, ubi prius apostemata, ubi pestilentia frequens, ubi ignis quondam ubilibet repleverat. Hoc tamen insigne sibi post mortem cohæsit; videlicet quod ob contrectationem Picardorum in tribus locis cicatrices, quasi victricia signa, retinuit: [& quædam vulnorum vestigia remansere.] quæ instar filii coccinei in reliqua carne patulo distinguebantur. Quidquid igitur ægritudinis præbuerat Domini manus, solidum atque continuum, sine plica, sine macula, sine ruga quacumque remansit: quod autem inflixerat manus hominum tyrannica, tamquam**

memoriale triumphi, virginalibus membris indelebiter relictum est.

[392] Erat sane uniformis hæc corporis mortui speciositas, [cum incredibili intuentium solatio.] speciosaque membrorum uniformitas adeo delectabilis, aspectantibus, ut nonnullis admirationem, tamquam peritioribus; aliis lætitiæ & exultationem, tamquam devotulis; plerisque insatiabilitatem aspectus sui conferret, tamquam religiosi ac devoti. Fatebantur autem virgines cum aliis, quæ jugiter diu noctuque sacrum depositum observabant, non siti, non somno, non esurie se gravari; & hoc ex mira suavitate fragrantis odoris ac lætitiæ spiritus, quam in aspectibus funeris pretiosissimi continuo perceperunt. Erat siquidem tam insolitum tamque præclarum spectaculum, omnibus simplicibus ipsum contuentibus, fidei confirmatio clara; erat & infirmis devotulis, ad patientiam confortatio luculenta; erat & spiritualibus, consolatio dulcis & amorosa; erat etiam remotis, ad spectandum currendi magnifica materia.

[393] [fit ingens concursus ad spectaculum,] Profecto mox ut fama defunctæ Virginis de Schiedam provinciam percelleret, & fama tanti miraculi ad aures hominum ubique utique divulgaretur; illico concurrere de propinquis vicini per circuitum, de remotis etiam rustici & cives innumeri; ut vel mortuam cernerent oculis carnis, quam tam famosam in ægrotudinibus, tam frequentem in divinis consolationibus, tam præclaram in perfectionibus audierant commendari. Admissi sunt igitur in illo triduo, quo sacrum illud corpus reservabatur, de singulis oppidis, [etiam puerorum,] castris, villis, turmatim viri & mulieres, senes ac juvenes, virgines & pueri, magni & parvi sugentes ubera. De pueris & infantulis quid dicam? Nempe de pueris tantus erat concursus, ut hi qui succincti cum labore venerant, & triennes atque statura pusilli præ turba videre Virginem non poterant, impatientes dicerent:

**Ad quid fatigati sumus? Atque in modum hunc clamantes, populum majori devotione inflammabant; ut verificaretur quod scriptum est, Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. [Ps. 8, 3.]**

**[394] Erat autem inter eos infantulus anniculus, qui inter brachia materna, ubera sugens, gestabatur: [quos inter infans anniculus omnes movet.] qui cum Virginis videret præsentiam, statim quasi spreto ubere, serena faciecula junctisque manibus, tam seriose tamque reverenter oculos in Virginem defixit, ut & aspicientes provocaret ad lacrymas, & lapidei spiritus viros ac mulieres ad reverendum virgineum pignus commolliret. Dabatur etiam singulis pueris ac infantibus panis unus, in memoriam mirabilium quæ tunc temporis Dominus faciebat; unde lætantes admodum atque gaudentes, quasi de nuptiis, ad propria remeabant. Sic filiæ Tyri vultum ejus reverebantur; sic nonnullæ filiæ Babylonis miseræ, cujusvis sexus, status, gradus ac dignitatis, ad sacrosanctum hoc funus veniebant, & revertebantur cum lacrymis & exultatione.**

**[395] Sane quoque venerabile vas atque virgineum jam venerabatur ab hominibus in terris, [corpus ad sepulturam componitur,] cujus animam gloriosam cives supernæ Hierusalem exceperant in excelsis. Confessor autem sacratissimæ Virginis Lydwinæ, ceterique devoti, quibus votum Virginis de sepeliendo innotuerat, nisi sunt eam tradere sepulturæ: sed metuentes jussa Principis, qui se venturum ad visendum priusquam sepeliretur prædixerat, distulerunt. Prohibuerant etiam majores natu urbis Schiedam ne sepeliretur, propter Principem, cui in hac re formiduli studebant complacere. Tandem vero, cum non speraretur Principis adventus, assumpta licentia, per domesticas induitur tunica; & cingulo, quemadmodum usa fuerat, succingitur: membranula quoque, in qua dulcissima Jesu ac Mariæ nomina**

conscripta fuere, uti optaverat in vita, sic capiti suo supponitur; atque sic composita sarcophago ligneo collocatur. Proinde cum D. Ioannes, Confessor Virginis, sacculum cruentarum lacrymarum, de maxillis ipsius Christi sponsæ abrasarum, quas rosas vocabat, collegisset (ne vel in minimo suæ in Christo filiæ fraudaretur extranea portio) sacculum ipsum capiti ejus supposuit. [supposito capiti sacco cruentarum ejus lacrymarum.] Quid autem mysterii sibi velit opus illud, Omnipotens novit: hoc tamen veraciter conjiciant universi, quod cruentas has lacrymas ideo rosas suas voluerit appellari; tum quia ob amorem Passionis Dominicæ, tum quia pro conversione peccatorum ex caritate, tum quia ex subtractione divinæ consolationis, quam passa est aliquanto tempore, tum quia ex frigore & calamitate, brumali tempore profuderit illas.

[396] Cum igitur illucesceret sexta feria post Pascha, quæ octava dies est a Passione Salvatoris, concurrerunt multo plures prioribus, ad visendum opera Domini quæ posuit prodigia super terram. Mulier autem materfamilias, [vultus ejus attactu conjugatæ obscuratur:] curioso quodam spiritu supervacuae devotionis agitata, conata est faciei virginis approximare; & lapillorum quorundam congeriem quam vulgus Germanicum Pater-noster vocare consuevit, super vultum Virginis reverenter circumducendo posuit: ad quorum incurialem attactum notabiliter facies Virginis defunctæ immutationem concepit, non sine stupore multorum qui tunc astiterunt. Nec mirum si tale quid a femina, mortali thoro conjuncta in mortuo corpore contigerit: quia simile ad contactum cujusdam viri minus pudici, qui manum virginis tetigit cum adhuc viveret, attestantibus qui affuerunt ac viderunt, fertur contigisse. Non enim caruit mysterio sibi noto, quod adeo rogavit domesticas adhuc in vita superstes, quatenus statim post obitum traderent eam sepulturæ. Non mihi dubium quin & in spiritu prænoverit tale quid

**futurum, ex stultitia quorundam curiosorum, circa corpus suum: quia quasi duplicem prophetiæ spiritum habuit, & tot ac tanta veracia quandoque circa se & alios revelavit. Nondum enim venerat hora ejus, ut Dominus velit eam omnibus communem esse: nec tutum asseruerim sanctum dare canibus, aut margaritam mittere ante porcos.**

**[397] Ex tunc autem, de rogatu domesticorum Virginis, [celebrantur exequiæ,] nec non de consilio venerabilium Religiosorum, ceterorumque Sacerdotum, qui ex omni parte convenerant, persuasione, deliberatum est, ne quovis modo sepultura proteletur amodo, sed quantocius venerabiliter cum laudibus ad ecclesiam matricem deportetur. Sicque cum laudibus Cleri & lacrymis populorum in parochialem ecclesiam, sancti scilicet Ioannis Baptistæ, urbeculæ Schiedam, honorificentia mirabili deportatur: ibique mysteriis celebratis solenniter, tamquam celestis apotheca fragrans, reconditur ac sepelitur. Siquidem in illa ecclesia infantula primitias hausit spiritus; ibi Reginam cæli salutare didicit: illic adolescentula, reptans manibus & pedibus, antequam prorsus prosterneretur, ultimum Mariæ vale dixit: ibi postmodum mulier, prostrata, spiritu rapta frequenter extitit: ibi tandem mausolæum post obdormitionem accepit.**

**[398] Sepulta est autem ad Australem plagam ecclesiæ prædictæ, [corpus honorifice sepelitur.] loco valde humili, in monumento facto de lapidibus coctis & cæmento, quod lapidibus pulchris competentis sculpturæ desuper ornatum est. Non enim decebat, ut eam, de qua cum viveret putredo & vermis tot annis scatuit, quam Dominus absque corruptibili cibo potuve tot annis nutrit, cui tot flagella perennaliter inflixit, communem carnis vermiferæ corruptionem videre permetteret, aut ipsam vermium scatebrosa putredo prima facie defunctam hereditaret. Itaque quæ toties Christo passo in carne vivens**



commortua est, quamquam in despecta domo vile triginta tribus annis possedit tugurium, moriens attamen Deo dante sepulcrum nacta est gloriosum. Transiit autem felix ac beata virago, ac fortissima mulierum agonotheta ex hoc mundo ad Patrem, anno videlicet incarnationis millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, mense Aprilis die decima quarta, in festo sanctorum Martyrum Tiburtii & Valeriani, sub diebus illustris Philippi, Burgundiæ atque Hollandiæ Principis: sepulta est vero feria sexta post Pascha.

[399] [Auctoris de Virginis gloria iubilus.] Magnificetur igitur gloriosus Deus in sanctis, qui hanc sibi adolescentulam, in ultimis finibus terræ novissime quæsitam, instar Abisag, ad tam excellentem gloriam evexit. Collætentur cæli cives singuli, quibus olim conjuncta per gratiam & multimodam virtutem, nunc commensalis facta, Deum in regno contemplatur. Gaudeat sacrosancta mater Ecclesia, cujus ex utero talis plantula producitur, atque ad implendum ruinas in splendoribus Sanctorum, velut sidus novum, collocatur. Congratuletur Hollandia tota, in cujus viridario tam famosi nominis Virgo colligitur; & vergente mundi vespere tam candidum lilium, quasi Esther altera inter puellas, invenitur. Collaudetur insuper felix Schiedam urbecula, quæ tam nobile depositum possidet in angulo, propter quod stillicidium roris desuper haud dubium stillabit in tempore suo. Sperent & exultent religiosæ Sion filiæ, ad quarum exemplar vexillifera patientium altigrado in monte constituitur, & multis ex trophæis merito laureata triumphat. Exurgant & tympanistriæ, filiæ terrestris Hierusalem, virgines; animentur & videant, filiæ Tyri & Sidon, viduæ, & beatissimam prædicent altithronam: quoniam de fructu manuum suarum virago nostra suscepit; & laudent eam in portis opera sua. Convertantur autem nunc filiæ Babylon, aut saltem erubescant, quoniam ancillam humilem sic respexit Altissimus; &

**cogitent in corde suo, quid sponsæ facturus sit in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.**

**[400] Deo gratias pro translatione tertia, quam abortivo & indigno catulo suo dedit. Amen.**

**Et sic finitur Legenda almæ Virginis Lydwinæ, a Fr. Ioanne Brugman anno Domini MCCCCLVI, pro tunc Conventus Fr. Minorum juxta S. Audomarum Lectore, composita; ac per ejusdem Ordinis Professum, nomine Fr. Arnoldum de Ostendis, ad honorem præmemoratæ Virginis, anno Domini MCCCCLVII, taliter qualiter in conventu de Duyenkerka, scripta: qui nihil pro labore quam Virginis auxilium desiderantes, eidem se devotius recommendant.**